DE VARIOLIS ET MORBILLIS

Liber Vnicus.

AVCTORE IO: THOMA MINADOO
RHODIGINO
In Gymnaſio Patauino Practicæ Matutinæ
Profeſsore in primo loco.

Ad Illuſtriſſ.um & Excellentiſſ.um
IOANNEM DELPHINVM
Equitem, et Diui Marci Procuratorem.



Patauij, apud Franciſcum Bolzettam. M. DC. III.
Ex Typographia Laurentij Paſquati.

VIRO ILLVSTRISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO
IOANNI DELPHINO
EQVITI SPLENDIDISSIMO,
Et D. Marci Procuratori Sapientisſimo.

Io. Thomas Minadous Rhodiginus. *S. P. D.*

SEPTIMVS iam agitur annus (Illuſtrisſime & Excellentiſſime Vir) ex quo mihi publicum practicæ matutinæ in hoc Celeberrimo Patauino Gymnaſio quotidie profitendi munus à Sereniſſimo Veneto Senatu eſt demandatum, in quo dum ego pro ingenij mei viribus verſor, & cum hac occaſione, tum ea, quam

conſulendi,& medicinam faciendi prouincia affer-
re indeſinenter ſolet,ſingulos profeſſores, interius,
cognoſcere,& de illorum ſtudijs,doctrina, moribus
(vt fieri conſueuit) præclaram, & peregregiam con
cipere opinionem pergo, ecce ad ineundam amici-
tiam cum Antonio Nigro priuato quodam,& laten
ti ſtimulo impellor. Qua ſanè in re fateor me exper
tum eſſe quod Plato ſcribit,amicos Dei nutu compa
rari,diuinitus enim factum eſſe credo, vt poſt varias
hinc,inde mutuas amoris ſignificationes ingenuam
quandam ambo ſimul alere amicitiam vicisſim ſtu-
duerimus. In hac igitur dum eiuſdem Nigri eximiã
ingenij indolem : acre iuditium : veteris doctrinæ
cultum:ſuauisſimos mores, & indeſinens de amicis
benemerendi deſiderium experior,illud quoq; inex
plicabili cum voluptate conſequor ut illius cauſa ,
Tu,qui iam diu illum ipſum vnice diligis,me quoq;
in tui clientelam benigne ſuſcipere, & varijs fauo-
ribus humanisſime augere dignatus ſis. Nam,vt præ
termittam plurima alia argumenta beneuolentiæ in
me tuæ,duo certe inſignia nulla ratione tacitus præ
terire poſſum: Alterum, quo Tu dum ſupremum hu
ius Gymnaſiij Moderatoris munus ſuſtineres, Pata
uiumq; Scholas iſtas viſcendi cauſa Pompei Magni,
qui olim Alexandriæ Accademiam: & Philippi Hi-
ſpaniarum Regis II. qui nouisſime Accademiam
de Alcalà de Nares viſitare conſueuerunt imitator
te contuliſses,me ipſum apud frequentisſimam me-
dicinæ

dicinæ candidatorum coronam de febribus diſputã tem, non ſine aliqua nominis mei commendatione audire voluiſti. Alterum, quo dum de confirmando meo munere variæ à varijs conditiones certatim proponerentur, tu Illuſtrisſimis & Excellentisſimis Iacobo Foſcareno & Hieronymo Capello tibi in munere collegis, Viris vndique abſolutisſimis, primũ, mox Sereniſſimo Senatui opinionem de me tuam ità ſignificaſti, vt non modo adauctis in duplum ſtipendijs, quod quidem honoris cauſsa quantum magnifaciendum ſit optime cenſeo, verum etiam publicis à Sereniſſimo Senatu datis litteris, amplisſimis, & honorificentisſimis verbis declaratum ſit, quantam, & qualem ſapientisſimi illi Patres, atq; adeo excelſi Heroes, de me, de ſtudijs, laboribuſq; meis ſpem, opinionemq;, & conceperint, & ſuſtinuerint. Propter quæ quidem omnia in hac huius mei opuſculi editione mearum eſse partium duxi & amico benemerenti publica hac teſtificatione gratam animi mei memoriam ſignificare: & Tibi, cuius auctoritate, benignitateq; meum mihi qualecumq; decus conſeruatum, & auctum intelligo, hac vna (cum ea nunc maiorem non habeam) ratione teſtatum relinquere me Tibi debere omnia: Te tamquam mihi ſemper venerandum numen colere; & quidquid exiſtimationis aut laudis (quod quam ſit exiguum ſcio) ex hoc publico munere ſum conſecutus, Tibi uni acceptum referre: & Poſtremo nullam

vnquam

vnquam poſteritatem (quo ad mea ſcripta viuent) ignoraturam Ioannem Delphinum Illuſtriſma familia oriundum: Reipub. Venetæ Senatorem amplisſimum: Equitem ſplendidiſſ. tot magiſtratibus cum domi, tum foris: tot legationibus apud ſupremos mundi Monarchas immortali ſui cum gloria perfunctum: Diui Marci Procuratorem vigilantiſſimum: Gymnaſii Patauini Moderatorem Prouidentisſimum, me ipſum in publico meo ordinario auditorio, humanisſimis auribus attentè, dicentem ſuſtinuiſſe: & mihi patronum, & patrocinatorem aduerſus eos, qui Heli ritu Lucernas ſopitas tantum, non vero viuas cernere uolunt pro ſingulari ſua benignitate fieri uoluiſse. Vale. Pat. Non. Iunij. M.DC.III.

Io.

Io. Baptiſtę Rota Phyloſophiæ, & Medicinæ Doctoris.

In Io. Thomæ Minadoi opus de Variolis & Morbilis.

CARMEN.

VT Iouis imperium pulchri decreſceret orbis
Et quod magnus Amor primo connectit ab æuo
Legibus æternis regnum turbaret iniquæ
Inuidiæ ſtimulis Erebi Dominator aquarum
Eumenides claras lucis tranſmiſit ad oras.
Hinc pueros miſeranda lues, dirumq; venenum
Exitio perdens, impune vagarier orſum,
Hinc roſeas fædare genas, nitidumq; puellis
(Indignum) maculis vultus tenebrare colorem.
Senſit Amor, ſuperumq; Poli Regnator ab arce
Iniuriam, fratriſq; dolum proſternere natos.
Mox pueros atra illuuie, frontemq; ſerenam
Inficere extincto penitus candore puellis.
Tunc Veneris natus caſu concuſſus acerbo
Quid ceſſas miſero, dixit, ſuccurrere mundo?
Si mea regna cadunt, tua mox cecidiſſe videbis:
Sed mea regna cadunt forma pereunte, miniſtra.
Cum ſit ſola mei, mea magna potentia ſola.
Iuppiter at contra: mentis compeſce timorem,
Nec te cura, metus, pauiduſq; remordeat horror.
Namq; virum propero, demittere ſedibus altis
(Thomam felices gentes hunc nomine dicent)
Cuius in aduentu furiarum exterrita turba
Deſerit auguſtum mundum, maneſq; ſubibit.
Tunc morbi, quos ſæua cohors per membra, per artus
Effudit, teneros, ſiſtent: non vlcera ſerpent:
Formoſis inimica genis: ſed dira remittet
Iſta lues, turpes maculas, papulæq; recedent.
Fama Viri tanti ſitientes ibit ad Afros,
Claraq; per ſcythiam uolitans, & littera Ponti
Illius egregias laudes reſonabit ab ortu.
Solis, ad occaſum; Patauii dum magnus ad Vrbem
Pæonias artes, Phæbiq; arcana docebit.
His dictis Lætatus Amor, lætatus & Olli
Iuppiter intonuit læuum, clareq; uidendas
Præbuit æthereas arces, & ſydera Cœli.

Petri Cliſſeuij Craſnicii Poloni. In idem eiuſdem
Auct. opus Carmen.

HInc iam maturum pueri mihi carpite florem,
Hic portat medicas fertilis Hortus opes.
Non alius picto uos gramine mollius ornat,
Non alio petitur certa medela magis.

Totius Operis Capitum
INDEX.

PRopoſitio dicendorum. Cap. I.
De Nomine Variolarum, & Morbillorum Cap. II.
Fuerint ne Variolæ, & Morbilli Græcis, Latiniſue antiquioribus cogniti Cap. III.
Veterum auctoritates, quibus illi Variollas, Morbilloſq; nobis ſignificarunt C. IIII.
Definitio illorum inueſtigatur. Cap. V
Quorundam recentiorum ſententia ad recenſum ducitur. Cap. VI.
De Materia, ex qua Cap. VII.
Examinatur prior opinio de hac materia Cap. VIII.
Alterius recentioris opinio examinatur. Cap. IX.
Quorundam argumenta ſoluuntur. Cap. X.
De Variolarum, Morbillorumq; cauſſa effectrice. Cap. XI.
Variolas, & Morbillos non ſemper fieri ab ichoribus. Cap XII.
Epilogus dictorum de materia Variolarum & Morbillorum: C. XIII
De Materia ſubiecta Var. & Morb. Cap. XIV.
De modo, quo fiunt Variolæ, & Morb. Cap. XV.
De Cauſa finali Variol. & Morb. Cap. XVI.
Propoſitarum quarundam difficult. ſolutio Cap. XVII.
De Variol. & Morbillorum Differ. Cap XVIII.
De ſignis Cap. XIX.
De ſignis Prognoſticis Cap. XX.
Methodus Curatiua Variol & Morb. Cap. XXI.
Materia Chirurgica Cap XXII.
Materia Pharmaceutica Cap. XXIII.
De Lenientibus Medicam. Cap. XXIV.
De Medicamentis Præparantibus Cap. XXV.
De Purgantibus Medicamentis Cap. XXVI.
De Medicamentis Roborantibus Cap. XXVII.
De Remediis puſtulis ipſis, & Maculis ac Veſtigijs variolarum adhibendis Cap. XXVIII.
De ijs, quæ ad indicatum Vitale Cōmune pertinent Cap. XXIX.

Propoſitio Dicendorum. C A P. I.

VNiuerſam hanc de Variolis, Morbilliſq; diſputationem, in duo capita ampliſſima, ex more, diuidam: Primum quæcunq; ad morbillorum, variolarumq; cognitionem attinent complectetur. Secundum, quę ad curationem ſpectant, quamdiſtinctiſſime explicabit. Vtrumq; verò caput in duas alias partes diducam: nam cognitionem, & dignoſticis, & prognoſticis tradam: Curationem vero, methodo curatrice, atq, pręſidiorum materijs perficiam: neq; pudebit prognoſtica curationi præponere, cum non antea de curatione loquendum ſit, quam affectionis euentus, quadã anticipata cognitione innotuerit.

De nomine Morbillorum, & Variolarum. C A P. II.

NEmini hoc noſtro ſeculo ignotum eſt, quid nam, variolarum, & morbillorum nomine audiendum ſit: nam in pueris frequentiſſime: in alijs quoq; ætatibus interdum hæc affectio obſeruatur: magnitudine, ac ſęuitia à ſe ipſa differens. Morbilliq; ſunt illæ rubedines aſperæ cutaneæ, culicum morſiunculis ſimiles, quę primum quidem in facie, mox in vniuerſi corporis ſuperficie cum febre apparent, noſtris his in regionibus, Ferſa vocatæ: in Etruria Roſalia: quemadmodum quoq; affirmat Nicolaus Florentinus. Variolæ autem ſunt extuberantię illæ euidentiores, quas tubercula non ineptè dixeris: quæ primum quidem ipſæ quoq; in facie, mox in vniuerſa cute efflorelcunt, cum febre, alijſq; ſymptomatibus: modo rubræ, *Nicol. Floren. de cur. febr. peſtil. cap. 13.*

modo flauæ, modo luridæ, modo liuidæ, modo nigræ: quæ vbi veluti inducta cruſta continenter faciem, totumq; corpus prehendunt, Varolon à Foroiulienſibus, à nobis ſturollo vocari ſolent. Arabibus & in primis Alzarauio Algidra nuncupatæ. Siue igitur Arabas, ſiue Latinos recentiores conſulas, iam prompte perdiſces, quis, qualiſq; ſit hic affectus, quem nos cum Arabũ interpretibns Morbillos, & Variolas dictitamus: & ſi non ſit prætermittendum ab ipſis Arabibus varia etiam alia nomina his affectionibus eſſe impoſita, auctor enim eſt idem Nicolaus hoc vitij genus ab illis vocari Alhuameta: Paſticcium: & Blaccias: & contineri ſub genere apoſtematum, quinimo & vocari apoſtemata botoralia: Botor quippe ab Auicennę interprete, in vocum arabicarum expoſitione variolæ transfertur. Sic apud Auicennam apud Raſem, interpretes variolas, & morbillos transferunt: & quoniam variolæ, & morbilli frequenter epidimicè vagantur: interdum etiam peſtis in morem interficiunt: interdum ſunt veluti prçcurſiones, & ante ambulationes febrium malignarum, & peſtis: interdum peſtis in variolas, & morbillos deſinere ſolet: quin ex ijſdem fere cauſſis, ex quibus fit peſtis aut omnibus, aut nonnullis oriri ſolent, factum eſt vt Auicenna, & Raſis, ille quidem poſt ſermonem de febre peſtilenti, hic vero ſub ipſo titulo febris peſtiferæ variolarum, ac morbillorum argumentum pertractauerint. quocirca ad nos, & ad Arabas quod attinet, iam ſatis apparet nullam de nomine ſubeſſe aut difficultatem, aut obſcuritatẽ. Maximum negotium faciunt Græcorum ea de re monumenta, ex quibus vix intelligas quid illi de hac affectione cognouerint, & quonam nomine

Auic. 1. quarti tr. 4. cap. 6.

Raſis 10. contin. cap. 18.

ipſam

ipſam vocarint: quod quoniam valde controuerſum eſt, præſtat ad maiorem dilucidationem, ſingulari capite explicare: qua in re cum in diſcrimen ipſa quoq; Celſi vocetur auctoritas, vtiliſſimũ fuerit vniuerſum hoc argumentum exactiſſime diſcutere, atq; examinare, ſic enim, neq; Græci, neque Latini vel iniuſte calumniari, vel vi & iniuria defendi videbuntur: ſed, quid quiſque vel bene, vel male ſenſerit, ſinè vllo ſectarum amore, vnicoq; veritatis ſtudio aperietur. Illud vnum hoc loco addentes, nos in preſentia eos variolas, & eos morbillos complecti, qui ex vſu artis ſunt: quique medicam opem deſiderant: reliquos tanquam ſpurios, & non ex vſu artis naturæ ſoli relinquentes.

Fuerint ne Variolæ, & Morbilli, Græcis, Latiniſue antiquioribus cogniti. Cap. III.

NE vero aliqua æquiuocatio, ac proinde deceptio in diſputando oriatur, ſtatim expedit adnotare, dum quæritur fuerint ne Variolę, & Morbilli antiquioribus Græcis, Latiniſue cogniti, poſſe hanc inquiſitionem multis modis capi. Primum etenim putabit forte quiſpiam à nobis inquiri, fuerint ne hæ voces hæc nomina Morbilli, & Variolæ à Gręcis, Latiniſue medicis antiquioribus vſurpàtæ; Secundo fuerint ne ijdem veteres ſub alijs vocibus ſub alijs nominibus de ea affectione, quam nos cum barbaris interpretibus variolas, & morbillos dictitamus: ita vt quemadmodum apud Arabas, particulares quædam, ac diſtinctę diſputationes de morbillis, & variolis leguntur, ſic apud Græcos, & Celſum particulares habeantur tractationes, quæ ſub alijs nominibus argumentum hoc de variolis, & morbillis complectantur: Tertio tan-

dem habeatur ne aliquo modo non nihil cognitionis à veteribus de hac affectione: habeatur ne in veterum ſcriptis aliquod rudimentum huius cognitionis. Cum ergo tot omnino rationibus excitari hæc de variolis, & morbillis diſceptatio poſſit, nos hunc tam late vagantem quæſtionis titulum, ad tertium ſeu poſtremum membrum redigemus. nam ad prius illud quod attinet inter omnes diſceptatores conuenit à nemine Græcorum, & multo minus à Cornelio Celſo fuiſſe eas morbillorum, & variolarum voces vſurpatas. euoluantur enim omnia illorum volumina, & accuratiſſime perlegantur, nullibi in illis inuenietur harum vocum morbillorum, & variolarum explicata vſurpatio. Simili quoq; ratione de alio ſecundo diſputationis titulo dici debet, quandoquidem apud veteres Græcos, Latinosue, nulla particularis, & exacta diſputatio habeatur, quæ ſub aliquo titulo hanc affectionem, vel cognoſcendam vel curandam ſingillatim, & ſeorſum, aliarum affectionnm præter naturam in morem, aut proponat, aut inſtituat: quãobrem quæſtionem ad ea conuertere, quę aperta, notiſſimaq; ſunt, otioſi, temporeq; abutentis eſſet potius, quam hominis veritatis, & antiquæ ſapientię ſtudioſi. Supereſt ergo vt inquiramus fuerint ne veteres antedicti huius affectionis prorſus ignari: vel ea potius in ſuis operibus ſemina reliquerint, quibus facile colligere valeamus hoc malum illis fuiſſe probe cognitum, atq; exploratum: qui ſane quęrendi modus tertio loco à nobis antea propoſitus fuerat. Hac autem in diſputatione variæ mihi videntur vigere hominum claſſicorum ſentẽtiæ: nam ex altera parte extant viri Clariſſimi, qui cenſent, veteres Græcos, Latinosue hac de affe-

ctione nullum prorſus cognitionis inditium reliquiſſe, eamq; prorſus ignoraſſe. Ex altera autem parte extant alij viri Celebres, qui putant antiquis hoc genus affectionis fuiſſe probe cognitũ, illoſq; huius ſuæ cognitionis non obſcura argumenta dediſſe. Sed hi adhuc in claſſes varias diducti ſunt: Alij etenim exiſtimant antiquorum herpetes fuiſſe noſtros morbillos, itaut, horum auctoritate, veteres ſub titulo herpetis de his egerint. Alij verò cenſent Celſi puſtulas, de quibus ille mentionem facit fuiſſe morbillos, & variòlas. Alij tandem credunt Hippocratem, & Galenum de variolis, & morbillis mentionem feciſſe titulo puſtularum, non id tamen hos feciſſe quocunq; in loco illi de puſtulis memoriam habuerunt, ſed ſingillatim in ea ſententia, quam non ſemel ſcriptam reliquerunt. Latæ puſtulæ non admodum pruriunt. Sed hæ ſingulæ ſententiæ mihi ſuſpectæ ſunt, quæ primum puto veteres optime variolas, & morbillos cognouiſſe, & de hac ſua cognitione euidentiſſima monumenta, & teſtimonia nobis reliquiſſe. Secundo vero eoſdem de his locutos fuiſſe titulo puſtularum, ſeu exantematum: quod paulo infra clariſſime monſtraturus ſunt. quare ad aliorum placita quod attinet, & primum quidem ad illos, qui antiquos faciunt huius affectionis ignaros, qui nullum inueniunt huius cognitionis in veterum ſcriptis inditium, facile apparebit hanc ſententiam eſſe reliquis omnibus deteriorem: cum extent inſignia in veterum libris argumenta, quibus fateri oportet illos vidiſſe, & curaſſe hanc affectionem, quam poſteri variolarum, & morbillorum nomine appellarunt. qua de re quoniam ſeorſum locuturus ſunt, in præſentia nihil dicam. Minus vero illorum probanda

Manardus l. 7. epiſtol. epiſtola 2.

Celſus l. 5. c. 28.

Hip. 2. in 6. epid. t. 29. & l. 6. aph. t. 9. & Gal. vtrobiq; in comento.

opinio

opinio eſt, qui exiſtimant herpetes veterum nobis deſcripſiſſe morbillos, nam ampliſſime hanc ſententiam confutauit Valeriolla in ſuis enarrationibus medicis: & ſua ſponte ſatis patet, quantum herpetes veterum, qui ſane ijdem illis, & nobis, & ſunt, & fuerunt, à morbillis, & variolis diſtent. Affirmare autem puſtulas illas, de quibus mentionem facit Celſus eſſe variolas, & morbillos idem eſt atq; concedere Celſum ignoraſſe variolas, morbillosq;, cum illas puſtulas dicat Celſus fieri ab igne, à frigore, à medicamentis, à quibus puſtulæ illæ excitari ſolent, quas nos Tauaras, & Eſſeratum ſpecies quaſdam dicimus, non autem variolæ, aut morbilli. Sic illos minus recte ſentire arbitror, qui variolas, & morbillos particulariter deſcribi tenent ab Hippocrate, & à Galeno locis antea citatis puſtularum latarum, minime prurientium nomine: nam & ſi fortaſſe in genere verum dicant, variolas nimirum, & morbillos genere puſtularum contineri, variolas quidem genere latarum, morbillos vero genere acuminatarum: attamen neq; verum, neq; veriſimile eſt ſolos variolas, ſolos morbillos ab Hippocrate, & Galeno ibi ſingillatim ſignificari: cum ſermo ille ad quamcunq; puſtularum, cũ latarum, tum acuminatarum differentiam aptiſſime pertinere videatur: non ad vnos variolas, non ad vnos morbillos: quamobrem iam præſtat, quamnam cognitionem variolarum, & morbillorum veteres nobis reliquerint indagare.

Valeriola lib. 1. Enar. Medic. Enar. 8.

Veterum Auctoritates, quibus illi Variolas, & Morbillos nobis ſignificarunt. Cap. V.

PRofecto variolarum, & morbillorum nomen nouum fatemur: affectionem vero variolarũ, &

& morbillorum nomine nouiter deſignatam, & antiquam, & antiquis patribus, ſingillatimq; Hippocrati, Galeno, & Aetio cognitam exiſtimamus. dico autem particulariter id ipſum de Græcis ſcriptoribus, quod affirmare non audeam apud Celſum, vel apud alium antiquum Latinum medicũ (ſi quis modo extiterit) hanc affectionem aliquo ſub alio nomine, vel aliqua alia ratione nobis poſteris fuiſſe ſignificatam. Profectò ad Hippocratẽ quod ſpectat ego non facile afferam locum illum à Manardo recitatum, & à Franciſco Valeriolla ſatis ſuperq; examinatum, atq; expoſitum, qui cenſeo ibi Hippocratem hoc puſtularum genus vere nobis non ſignificare, cum dicat ea in conſtitutione apparuiſſe magna ecthymata, à craſſis humoribus genita: vocetq; ea magna ecthymata genere tumorum: quæ ſanè procul abſunt à variolarum natura, qui neq; magnam faciunt ecthymatum ſpeciem: neq; ſemper à craſſis humoribus generãtur neq; tumoris genere proprie, proximeq; definiri poſſunt, vti ſuo loco demonſtraturi ſumus. Quocirca hunc Hippocratis locum tanquam minime horum affectuum naturã ſignificãtem omnino præteribo, & ad alias illius auctoritates huic loco magis aptas ſermonem transferam. Sane antiquiſſimi ſenis verba ſunt hæc. *Εγεγύοντο δὲ ἐν τοῖσι θε-*

Hipp. 3. epid. In peſtilenti illa conſtitutione.

„ *ρινοῖσι πυρετοῖσι, περὶ ζ΄. καὶ η΄ καὶ θ΄ τρηχίσματα ἐν τῷ*
„ *χρῶτι, κεγχρώδεα, τοῖσι ὑπὸκωνώπον γινομένοις*
„ *μάλιστα ἴκελα ἀμαδήγμασιν, οὐ πάνο κνισμώδεα.*
„ *ταῦτα διετέλει μέχρι κρίσιος.* Fiebant autem in
„ febribus æſtiuis, circa ſeptimam, octauam, & nonã
„ diẽ aſpretudines in cute miliaceæ, culicũ morſibus
„ maxime ſimiles, non valde pruriginoſæ: hæ perſe
„ uerabant vſq; ad iudicationem. Ex quibus quidẽ

Hipp. l. 2. epid. ſectione 3.

verbis

verbis nemo non videt depingi, atq; delineari eam affectionem, quam nos morbillos appellamus. Si quidem morbilli, τρηχίσματα vere dici poſſunt, cum cutis aſpretudines ſint: non enim ſunt puræ maculę, quas σίγματα à Græcis appellari notat Valeriolla loco antea citato; dum ille ſententiam ſuam contra Manardum affert: ſed ſunt aſpretudines, culicum, non pulicum morſibus maxime ſimiles. κώνωψ enim non pulex, ſed culex eſt: à culicibus autem, non à pulicibus fiunt aſpretudines miliaceæ in cute; quemadmodum à pulicibus fiũt nudæ maculę: vt pari ratione, qua τρηχίσματα culicum, ſic σίγματα pulicum morſibus aptiſſime æquiparentur: cum igitur morbilli τρηχισμάτων genere contineantur, manifeſtum fit ab Hippocrate deſcribi conſtitutionem morbillorum noſtrorũ. ex quo loco illud etiam colligitur quanto errore ducti ſint, qui in eum locum Hippocratis gloſſemata ſeu ſcholias molientes τρηχίσματα interpretentur lenticulas ſeu peticulas noſtras, qui etiam eo in peiorem pertrahuntur errorem, quo eaſdem deinde faciunt, atq; illas, quarum meminit in ſæua illa Athenarum peſtilentia Thucidides: cum tamen cum in hac, tum in illa parte multopere illi à veritate aberrent, quod cum nemo non intelligere poteſt qui locum illum mature conſiderabit: tũ nos noſtro libro de morbis in orbe nouis oſten ſuri ſumus. Conſpicuus igitur, atq; illuſtris locus hic eſt in Hippocrate, quo & ille morbillos aptiſſime deſcribit, & febres morbillares viguiſſe teſtatur. Sed non minus notatu dignus alter locus eſt apud eundem Hippocratem, quo in Euphranoris filio exanthemata culicum morſus refferentia ſe adnotaſſe docet: qua in re ea ſunt illius verba.

Hippo. l. 5. epid. circa finem lib.

ευφράνορος

„ *Εὐφράνορος παιδὶ, τὰ ἐξανθήματα οἷα τὰ τῶν κωνώ-*
„ *πων δήγματα*. Euphranoris filio puſtulæ veluti
„ culicum morſus. quem locum etiam nonnulli ma lè interpretantes in cauſsa fuerunt, quamobrem euulgata fuerit opinio, periculas noſtras ea in oratione ab Hippocrate ſignificari: cum tamen de culicum morſibus, ac proinde de aſpretudinibus, atque puſtulis, non de maculis ſermo Hippocrati ſit. omnino & hic locus ipſos morbillos ſatis euidenter ſignificat, nam cum dicat ibi Hippocrates filium illum Euphranoris tactum fuiſſe ab illis puſtulis, quæ culicum morſus imitabantur, illumq; etiam paulopoſt febricitaſſe, nemo non affirmabit ibi orationem haberi de morbillis: cum morbilli ſoleant modo præcedere: modo ſubſequi: modo concomitari ſimul febrem: neque in cutaneis affectionibus alias puſtulas comperies, quibus aptius conuenire poſſint ipſorum culicum morſus, quam puſtulæ vocatæ morbilli: potiſſimum ſi hæ puſtulæ cum febre vigeant. Quemadmodum autem expreſſa de morbillis Hippocrati mentio habetur: ſic puto illum expreſſe quoq; variolas nominare, explicatamq; de illis ab eo fieri mentionem. iam enim ipſe quodam in loco eam memoriæ reliquit
„ orationem. *Ἐξανθήματα μετὰ ἱδρῶτος ἐρυθρὰ, στρογ-*
„ *γύλα, σμικρὰ, οἷον ἴονθοι παρέμενεν οὐκ ἀφίστατο.* *Hip. lib. 1. Epid. Aegroto ſecundo, qui eſt Silenus.*
„ Papulæ cum ſudore rubræ, rotundæ, paruæ, velu-
„ ti vari permanebant, non abſcedebant. Ex hac explicata narratione credo vnumquemq; ſatis clare poſſe colligere Hippocratem non de morbillis, ſed de variolis mentionem feciſſe. ſiquidem (inquit) Sileno apparuiſſe papulas, ſeu eruptiones, quæ non erant culicum morſus ſimiles, quales ſũt morbilli: ſed erant ſimiles varis: atque nouit quiſ-

B que

que ſatis quid vari nomine audiendum ſit, cum qui de variolarum nomine ſcribunt, ſatis apte affirment variolarum nomen deductum eſſe à varis illis tuberculis, quæ in facie apparent, qui vari vulgo goſſi dicuntur. quale tuberculorum genus vere ſunt variolæ, vti ſuo loco oſtendemus. Sed quod addit Hippocrates non abſcedebant, ſine animaduerſione præteriri non poteſt: etenim fere tamquã notandum id memorat Hippocrates papulas illas ſiue illas cutis efflorefcentias non migraſſe in abſceſſum, cum fere proprium ſit variolarum tandẽ abſcedere: quod cum optime Hippocrati fuerit cognitum, iam etiam apte illud adnotauit, perpauci enim variolæ ſunt, qui in octaua non abſcedere videantur: ſed forte cum illi variolæ cum ſudore apparuerint, non tam facile abſcedere potuerunt, cõuerſa ad ſudorem, quæ in abſceſſum migrare debebat materia, ſed credi debet illos tandem, ritu aliorum variolarum ad abſeſſum fuiſſe conuerſos. Sic apud Hippocratem enidens cernitur de morbillis primum, mox de variolis facta mentio. Iam ad Galenum veniendum, in cuius ſane ſcriptis vt non facile aliquod de morbillis monumentũ inuenies: ſic non adeo manifeſtam de variolis mentionem comperies. Locus vnicus eſt notatus à Manardo, qui tamen dum vult eum locum etiam ad morbillos pertinere, non potuit iuſtam Valeriollæ, accuſationem ſubterfugere. Certe Galeni verba ſunt hæc.

Galen. 5. meth. med. c. xii.

» Οἱ δ᾽ ἐκ τοῦ λοιμοῦ ῥᾳδίως ὑγιάζεσθαι μοι δοκοῦσι τῷ
» πρεξηρανθαι τε καὶ προεκκαθάρθαι σύμπαν τὸ σῶμα.
» καὶ γὰρ ἔμετος τισὶν αὐτῶν ἐγένετο, καὶ ἡ γαστὴρ ἅπασιν
» ἐταράχθη. καὶ οὕτως ἤδη κεκενωμένοις τοῖς σώζεσθαι
» μέλλουσιν, ἐξανθήματα μέλανα διὰ παντὸς τοῦ σώματος
» ἀθρόως ἐπεφαίνετο. τοῖς πλείστοις μὲν ἑλκώδη, πᾶ-

σι

" σὶ δὲ ξηρά. Cæterum qui ex peſtilentia hoc vitio
" laborarunt propterea mihi facile ſanati videntur
" quod præſiccatum ijs, præpurgatumq; totum cor
" pus fuerit; quippe cum & vomuerint ex ijs nonnul
" li, & omnibus venter profluxerit. Atque cum ita
" iam vacuati eſſent, qui euaſuri erant, ijs puſtulæ
" nigræ toto corpore cõfertim multæ apparuerunt.
" vlceroſæ quidem plurimis, omnibus certe ſiccæ.

Equidem puto fore neminem qui hoc ex loco velit colligere morbillarẽ febrem à Galeno deſcribi, vt propterea iure à me dictum ſit, iuſte accuſatum à Variolla Manardum fuiſſe. Sed nunquid apte Valeriolla, & cum eo magna pars recentiorum inde argumentũ capiant demonſtrandi variolas, ſeu variolarem febrem à Galeno deſcribi, ac veluti digito oſtendi, nõ ità facile determinarem: Et ſi enim variolę cum ijs puſtulis, quæ, à Galeno deſcribuntur communionem habere videantur: & quod per modum criſis fiant: & quod cum febribus malignis, & peſtilentibus appareant: quod maxime nigris variolis conuenire ſolet & in alijs non nullis de quibus dicam: nihilominus in eo uidentur diſſentire, quod omnes apparuerint in fine ægritudinis, itaut febres illæ peſtilentes, quæ ad ſalutem veniebant, iudicarentur tandẽ huius efflorefcentiæ cutaneæ interuentu. Itaq; non apparebant in illarum febrium initijs, ſed ſuccedebant in fine illarum, mittente natura in cutẽ reliquias illorum humorum, qui iam in febribus illis per putredinem ad quandam veluti incinerationem (vt Gal. ait) deuenerant. at hæc non modo erat per modum criſis (vt Auic. de variolis dicit) ſed erat vera criſis; moliente ſcilicet natura poſt humorum coctionem emiſſione illa in cutem cine

rei illius excrementi, terreſtriumq; illarum ſuperfluitatum: Variolæ vero etiam ſtatim in febrium initijs apparent per modum quidem criſis, ſed vt plurimum infidæ, & imperfectæ vnde toto fere morbi principio, & incremento illorum effloreſcētia viget in cuti. Hac etenim ratione longe aptius contra hunc Galeni locum dubitare licet, quā factum video à quodam ſcriptore qui eam ob cauſſam contendit hic nō deſcribi variolas; quod variolæ non ſuccedant febribus, ſed ipſi faciant febres, ſintq; morbi principales, non autem ſuccedant morbis principalibus. hoc enim quamuis à quoddam Galeni interprete grauiſſimo proditū ſit, mihi tamen videtur moltopere à veritate remotum, cum variolas (ut plurimum) duplici febri cō iungantur, priori, quæ facere ipſos morbillos, & variolas ſolet: ſecundæ, quæ fieri ab ipſis variolis conſueuit. Illa ſtatim oritur ex ebullitione ſeu efferueſcentia ſanguinis, quæ tunc primum miteſcere, aliquando magis, aliquando minus, videtur, cum primum maior, vel minor, abundantior, vel partior ſuccedit variolarum, vel morbillorum in cute effloreſcentia: Hæc vero ſtatim vrgere incipit cum variolæ abſcedunt, cum materia, quę in uariolis continetur putreſcit, quæ maior, & minor redditur, pro maiori, vel minori eiusdem copia, & putredine, quocirca quemadmodum quiſq; apte dicet huius ſecundæ febris ratione, variolas habere rationem morbi principalis, ſic ratione ebullitionis, & efferueſcentiæ ſanguinis nō ità apte quiſq; dicet variolas eſſe affectū principalem: & qui hoc dicet, in manifeſtum errorem, ſinè dubio incidet. quando reſpectu illius ebullitionis variolæ, ſint repurgamenta quædam cauſſę morbificæ, ac proinde

Quidam ex recentioribus, qui commentaria in Galeni Methodū edidit.

de modo opera modo caſus earum, quę ſunt in corpore diſpoſitionum; uti in aliud propoſitum, aliquando à Galeno ſtatutum eſt. Sed ad rem noſtrã reuertamur: quamq; enim toto ferè morbi tempore efflореſcãt in cute hæc exanthemata, quæ nos variolas, & morbillos appellauimus, nunquam tamẽ apparent, niſi præcedente ſanguinis ebullitione, atq; feruore, eorum etenim materia ex ea minera eſt, itaq; fieri nequeunt niſi ex materia, quę in febre antea in feruorem, & accenſionem deuenerit, cuius portio ad cutem propulſa, fiat horum exanthematum materia; quod libenter animaduerto vt Galeni locum ad bonam frugem conuertam, eoq; intelligamus, puſtulas illas ab eo deſcriptas non eſſe ità audiendum poſt febres apparuiſſe, vt in fine morbi ſemper notatæ fuerint, hoc enim non ſonant eius verba: ſed vt apparuerint poſtquam in febre peſtilenti materia ad cinerulentum, propter putredinem, atq; feruorẽ redacta ſit: quod quoniam fieri ſolet in prĩcipio: in augumento: in ſtatu: in declinatione, non poteſt cogere nos vt affirmemus talem apparitionem in fine ſolummodo febrium illarum extitiſſe. cum præſertim dicat Gal. ea exanthemata apparere cõſueuiſſe in illis, qui prius corpora exiccata habebãt purgationibus, alijsq; vacuationibus, quæ in acutis ſtatim in principio fieri ſolent: deinde etiam dicat apparere ſolita eſſe illis qui ſeruari debebant; erant enim ſignum ſalutare, & effectus pariter ſalutaris. quod nos quoq; de variolis, & morbillis dicimus, in his enim optimum ſalutis argumentum colligimus, ſi bene procedant, neq; intus lateant in viſceribus. quin præſtat & aliud in eo Galeni loco notare, ꝙ videtur, ad variolas, & ad morbillos

Gal. l. 4. aphoriſmorum. 22.

per-

pertinere: ipſam nimirum faucium, & gutturis exulcerationem, quam communem fuiſſe in ea peſtilenti febre docet Gal. & à qua dicit celeriter eos conualuiſſe prętei morem talium exulcerationum, quod corpora illorum exiccata erant ab euacuationibus, & exiccabantur adhuc magis propter efflorelcentias illas exanthematum ad cutem totius corporis: propter quam, ſeroſitatum humorumq; putridorum colluuies non detinebat fauces, & guttur, ſed ad cutem externam deflectebat, puſtulas antedictas excitatura. Poſtremum ſignū variolarum, quod ex eo Galeni loco capi poteſt, eſt ipſa puſtularum ſanatio; nam teſtatur Gal. eas poſtulas ſine ope medica ſua ſponte ſanatas eſſe: neq; ad eas ſanandas opus fuiſſe remedijs: ſiccabantur namq; ſponte, & ab illis ueluti ſquama decidebat: quod ſane qui in variolis non obſeruauit nimis rudis videtur, & ineptus: nam & variolares puſtulæ ſua ſponte ſex aut octo dierum ſpatio poſt transactam febrem ſaneſcunt, decidentibus veluti ſquamulis: vt non ab re Galenus æquiparet eas ſquamas, ſquamis ſcabiei, & lepræ: non quidem dicēs eas vere ſcabiem, & lepram fuiſſe, quod video etiā à nonnullis cum errore accipi, ſed eas illis æquiparans ſimileſq; affirmans. Verum quidquid de hoc loco Galeni ſentiendum ſit, me non latet illum eſſe ſatis obſcurum, neque tam aperte illo variolarum naturam deſcribi, atque de morbillis & variolis factum ſit illis locis Hippocratis, de quibus à nobis ſupra facta mentio eſt. Etſi vero antedictam hæſitationem (cui etiam aliqua ex parte nos ſatisfeciſſe credimus) eo in loco habeamus, ſi quis tamen à nobis inquirat nouerit ne Galenus variolas, & morbillos, facile, & ſine timore, vel verecundia

dia reſpondebimus illi talem affectionem fuiſſe probe cognitam, poſteaquam credi omnino debet hanc ipſam ęgritudinem, hanc ſebrem morbillarem, & variolarem, quæ temporibus Hippocratis viguit, temporum quoque ſucceſſione perſeueraſſe, & Galeni proinde ætate, quæ alioquin neque breuis neq; otioſa fuit, aliquãdo obſeruatã fuiſſe. Quod ſi hac noſtra reſponſione lectores minus cõtenti, adhuc curioſius efflagitent cur ſit, quod Galenus de variolis, morbillisq; mentionem ſeorſum particulari diſputatione, aut libro, aut tractatu nõ fecerit, reſpondebo pro Galeno, quod Galenus aliquando pro Hippocrate reſpondit; quęrentibus etenim cauſſam, quamobrem Hippocrates librum particularem de Peſte non ſcripſerit, Reſpondiſſe Galenum legimus, id ab Hippocrate factum non fuiſſe, quia ſub titulo communi, & amplo de Epidemicis ęgritudinibus, ipſam quoq; peſtilentiam complexus eſt: quod ergo de peſte Galenus pro Hippocrate ſcribit, nos de variolis pro Galeno iſtis inquiſitoribus reſpondeamus, illum de febre variolari, & morbillari non fuiſſe diſiunctim, atq; ſeorſum locutum, poſteaquam illam poſſe apte contineri putauit ſub doctrina, quam hinc quidem de febribus in genere, & ſeorſum de ſynochis, & maligniſ ſeu peſtilentibus & epidemicis: hinc vero de aliis, quæ cum efloreſcentijs in Epidemijs habentur, immo vero, qui de ipſis cutis vitijs ille ſcribit, varijs in locis memoriæ reliquit. Sed ſuccedit iam locus apud Aetium, qui conſideratione dignus videtur: cum ex eo multi argumentum capiant ipſi Aetio tale puſtularum, tale febrium genus cognitũ exploratumq; fuiſſe. Eſt autem locus hic illis verbis deſcriptus: Primum quidem in capitis initio.

Gal. primo Epidem. pri. in Præfat.

Aetius lib. 5. Cap. 13?.

Ἐπὶ

,, Ἐπὶ τῶν πυρεττόντων, συνεχέστατα γίγνεται ἐξανθήμα-
,, τα, περὶ τὰ χείλη· καὶ τὰς ῥίνας· περὶ τὰς λύσεις τῶν
,, πυρετῶν ὡς ἐπίπαν· κατ᾽ ἀρχὰς δὲ τῶν πυρετῶν,
,, οὐ τῶν ἁπλουστέρων· ἀλλὰ τῶν κακοχυμοτέρων περὶ
,, ὅλον τὸ σῶμα· μώλωπες ἐμφερεῖς τοῖς ἀπὸ κονώ-
,, πων δήγμασιν· ἐν δὲ τοῖς κακοήθεσι κοχι, λιμώ-
,, δεσι πυρετοῖς, ἑλκώδη ταῦτα γίγνεται· τινὰ δὲ καὶ
,, ἄνθραξι παραπλήσια. Febricitãtibus ferè circa mor
,, bi ſolutionem puſtulæ circa labia, & nares ſæpiſſi
,, me effloreſcũt. At in ipſarũ febriũ nõ quidẽ mitio
,, rũ ſed à multũ deprauatis humoribus accẽſarũ prĩ
,, cipio, in vniuerſo corpore, aut in plerisq; mẽbris
,, apparent puſtulæ paruę, vibicibus, aut culicum
,, morſiunculis ſimiles, quæ in malignioribus, & pe-
ſtiferis febribus etiam vlcerantur, & ad carbuncu-
lorum ſpeciem accedunt. Hunc locum dum ſe-
dendo, & cum maturitate conſidero, facile ad eã
inclino ſententiam, Aetium hac in oratione, &
morbilos primum, & variolas ſecundo: mox non
nulla alia puſtularum genera ſignificare. Nam ad
priores puſtulas, quod attinet, quas dixit appa-
rere circa morbi ſolutionem, nemo eſt, qui hac no-
ſtra tempeſtate in aliquibus ægris non obſeruaue-
rit circa morborum ſolutionem apparere coſueuiſ
ſe puſtulas interdum modo in labijs, modo in na-
ribus, mittente natura tenues quaſdam ſeroſitates
ad eas regiones in ipſis morborũ iudicationibus:
vt adhoc puſtularum genus quod attinet non de-
beat eſſe aliqua controuerſia in hoc Aetij loco.
Verum ad eas puſtulas quod ſpectat, quas dicit ap
parere circa morborum etiam initia, & in primis,
circa febrium principia, iure teſtatur febres illas
eſſe malignas non benignas, & in malignis magis
quam in benignis febribus apparere eas puſtulas,
quę

quæ à principio culicum morſus refferunt, mox exulcerantur, & eo etiam coloris, & magnitudinis veniunt, vt paruos quoſdam carbunculos æmiulentur: ac profecto morbilli vbi migrant in variolas, vel ubi iunguntur variolis nigricantibus, & exulceratis, videntur in eo imitari paucos carbunculos unde auctor eſt Halyabas; antiquos conſueuiſſe appellare variolis carbones aduſtos. à quibus tamen multopere diſtant, quod ſponte ſua etiã ſanari ſolent, quemadmodum dicebat Gal. atq; hoc variolarum genus peſſimum eſſe ſolet, non quidem benignis, ſed malignis, & peſtiferis febribus coniunctum. Nam ad variolas benignos quod attinet & ſi illos deinde etiã deſcribi eodem capite circa finem ab Aetio non nulli arbitrantur. Ego tamen longe libentius eorum ſequor opinionem, qui nullibi de illis eo capite ab Aetio ſcribi, mentionemue fieri cenſent. Nam quod ille his verbis affert γίγνεται δὲ ποτε ἐξανθήματα μεγάλα κατὰ χρόαν λευκὰ· νοσιμὸν ὀλίγον ἐπιφέροντα, πλεονάζοντα ἔν τε μηροῖς· καὶ γλουτοῖς· πλευραῖς τε καὶ ἐπιγαστρίοις ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον· τὴν δὲ κατ᾽ ἀρχὴν ἐκ πολλῆς καὶ ἀργῆς ὕλης λαμβάνει hoc eſt. Fiunt autem interdum exanthemata magna ſecundum, cutẽ alba: exiguũ pruritũ inferrentia: & cæt. non modo non poteſt ad variolas refferri, aut ad morbillos, ſed manifeſte connotat eſſaras illas à nobis vocatas, de quibus etiam mentionem facit Celſus inſigni illo capite, quo etiam loco has puſtulas ſcribit fieri, à medicamẽtis frigore; igne. Quod vero ille paulo infra eodẽ capite ſubiungit & ſi nõ vſque adeo variolarum, eſſe argumentum videtur; proxime tamen affirmari poſſet ad illos accedere, dũ puſtulas gigni affirmet rotundas, inæquales, ſubalbidas

Halyab. lib. 8. Theor. Cap. 14.

Cornelius Celſus lib. [illegible]

balbidas, ſubrubras cum carnis eleuatione, ſimiles panis, qui in facie apparent, niſi huic repugnaret quod idem addit Aetius, tales puſtulas (vt plurimum) eſſe cum febre intermittenti. Vel forte dicamus de facillimis, & tutiſsimis uariolis hoc Aetij dictum exponendum, poſteaquam, & ipſe talem affectionem mitiſſimam obteſtatur, & nos interdum uidimus variolas cũ febribus, quæ ad quietẽ febre vacantem deueniebant: de quibus ſuo loco etiam à nobis uerba facienda erunt. Omnino ſi quid ex Aetio colligi põt, quod ad uariolas deſcribendas conducere uideatur, id certe ex prioribus huius capitis uerbis ſupra deſcriptis non autem ex aliis colligendum erit. Cumq; inter antiquos nemo extet, qui de hac morbillari, & uarioloſa diſpoſitione mentionem aliquo alio modo fecerit, iam poterit quiſq; ex dictis, intelligere, quid nam de hoc uitii genere ueteres nouerint, quidq; de illo ipſi ignorauerint. quamobrem hac de re dictũ erit ſatis, quantum enim notionalis cognitio poteſt eſſentiali cognitioni opitulari, credo nos hactenus ex traditis collegiſſe.

Definitio Variolarum, & Morbillorum inueſtigatur. Et primum illorum genus. Cap. VI.

CVm variolæ, & morbilli ex genere illarum affectionum ſint, quæ ſua ſponte, & ſine cauſſis cutem extrinſecus afficientibus, ipſa in cute efflореſcunt, iure ad illud uitii genus rediguntur, quod à Græcis ἐξάνθημα dicitur, ἀπὸ τοῦ ἐξανθεῖ, quod efflореſcere ſignificat, ſumpta nimirum metaphora à floribus in terra efflореſcentibus, quod in Diogine apud Laertium notatum eſt. Iam uero ad Exanthemata multæ cutaneæ affectiones redigi ſolent,

Laertius in Vita Diogenis.

lent,

lent, quando, & herpes, & ſcabies, & lepra, & uari,
& alphus & perticulę, & lentigines, & ulcera cutē
interno, & ſpontaneo naturę impulſu præhendere
conſueuerint, à quibus tamen ſingulis multopere
diſtant variolæ, & morbilli, quare pręter hanc com
munem generis naturam quid magis propriū & pe
culiare habeant oportet. Paulus aliquando ſpeci
ficam quandam cutis eruptionem, ex ignauo, pitui
toſoue humore cōſtantem exanthema ſeorſum ap-
pellat, qui etiam φλυκταίνας. ἐπινυκτίδες. στίγ- *Paulus l. 4. cap. 8.*
ματα, quæ omnes ſunt cutis eruptiones ſponta-
neę, atq; ſubinde efflorefcentię, inuicem diſtin-
guit, curatq; Sic apud interpretem linguarum
Hippocratis vox illa πλήρης exponitur ſpontanea
cutis eruptio ex abundanti in corporibus humidi-
tate. Sed addunt alij τὰ ἐκθύματα proprie eſſe tu- *Io. Fernel. lib. 7. cap. 2.*
bercula ex ſanguine, quæ albeſcunt in pus conuer-
ſa, & ſponte ſua etiam ſiueſcunt, vt alia ex bile fie
ri docent: Exanthemataq; inter ſicca numerant.
Verum præſtat (vt diximus) hæc omnia lata qua-
dam ratione exanthemata eam ob cauſſam appel-
lare, quod omnes ſint ſpontaneæ eruptiones, atq;
efflorefcentiæ cutis, etiam ſi non eundum ſit infi-
cias fieri poſſe ut aliqua ſpecifica eruptio nomen
hoc generis aſſumat, & exanthema ſeorſum appel-
letur: quod ſane in alijs quoq; corporis vitijs fieri
animaduertimus, vt de διάρροια, διουρήσις & ſimili
bus contingit. Sed quidquid hac de re ſit cum va
riolæ, & morbilli ſpontaneam habeant in cutem
corporis eruptionem, atq; efflorefcentiam, iure
ad exanthemata rediguntur, tanquam ad remotū
genus, vti dictum eſt: hocq; nomine diſtinguuntur
ab ijs cutis vitijs, quæ à cauſa externa cutem læ *Hip. primo aphoriſmorum 1. 2.*
dente fiunt. ſpontaneum enim dicitur quod à na-

tura intrinſecuſq; fit vt de ſpontaneis uomitibus & alui perturbationibus Hip. dicebat. Cæterum vt ſpecificã naturã ſubeant ſpecificas illorũ conditiones ac proprietates aſſignare oportet: ac primum quidem cum in cutem erumpant tumores, tubercula, puſtulę, vlcera, maculæ, vti dictum eſt, ſatis receptũ uidetur variolas, & morbillos non eſſe ſolũ maculas, quãdo maculę ſine vlla cutis eleuatione, & ſine vlla extuberãtia; ſed in ſola coloris mutatione ſint: Variolæ autem morbilliq; cutis eleuationẽ habeant, atq; extuberantiam: Manifeſtum eſt etiã quod non ſunt vlcera, quoniam dum erumpunt non in modum ulceris & magnitudinis diminutæ ſed extuberantiæ in modum, & magnitudinis auctæ erumpunt. Itaq; ad tumores debent redigi, cum in cute morbillis, & multo magis variolis detenta variæ, & plurimæ extuberantiæ cernantur. Veruntamen quoniam proprie tumores vocantur illæ extuberãtiæ, quæ ſunt effatu dignę, quęq; magnitudinem partis inſigniter vitiant: quales certe non ſunt variolæ, non ſunt morbilli: qui perexiguã habent prominentiã, exiguãq; cutis eleuationẽ, iure aut morbilli, aut uariolæ, & ſi ad tumores poſſint redigi tumorum titulo tanquã propinquo, & proprio definiri non debent: melius forte dicerentur tubercula, cum tuberculorum appellatio minoris tumoris ideam præſeferat. Veruntamen cum Galenus manifeſtè diſtinguat à tuberculis puſtulas, ipſiq; variolæ, ipſi pariter morbilli puſtulis potius, quàm tuberculis æquiparari poſſint, cõſultius uidetur puſtularum genere tanquam propinquiori potius, quam tuberculorum, aut tumorum uariolas, & morbillos accipere: quamobrem erunt uariolæ, & morbilli inter exanthemata, & nõ

Gal. lib. 6. aphoriſ. 1. c. 9.

quęcunq;,

quæcunq; , ſed ſeorſum inter puſtulas. vt hinc colligi poſſit error interpretis Halyabatis, uel forte ipſius Halyabatis, qui uariolas & morbillos genere Vlcerum definit. Iam uero poſtularum varius perſcribetur ordo, multigenaq; differentia: ſiquidem illarum aliæ latę ſunt, alię acuminatæ aliæ rotundę aliæ alio modo figuratæ: aliæ prurituoſę: aliæ minus: aliæ ſiccæ, aliæ manantes: aliæ frigidæ, alię calidæ: aliæ, flauę, aliæ humidæ, uel uiolaceæ, uel alterius coloris: aliæ bilioſæ, aliæ ſanguineæ, aliæ melancolicæ, aliæ pituitoſæ, aliæ ex miſtis humoribus prognatæ; aliæ cum febre, aliæ ſine febre; & omnino amplus eſt, & uarius puſtularum ordo; ut igitur natura, & genus in primis proximum variolarum, & morbillorum ſtatuatur, hoc quam breuiſſime aperiendum. Ac ſane Variolæ ſunt puſtulę, rotundæ, rubræ, non admodum acuminatæ, pruriuoſæ, calidæ, & humidæ quæ in pus etiam vertuntur & ſponte ſicceſcunt, in quarum proprietatum aliquibus diſſentiunt à morbillis: nam morbilli, acuminatæ puſtulæ ſunt, neq; in pus verti ſolent. vt propterea fortaſſe aliqui genere has puſtulas iure diſtinxerint. Verum quoniam in hac proprietatum ſerie, non nullæ ſunt, quæ ex vſu artis non reputantur: vt quod ſint, vel non ſint acuminatæ: & quod ſint ſolitæ verti in pus uel nō quod ſint cum exulceratione cutis vel non: quod faciant alia uitia præter naturam: propterea ad genus quod attinet ſufficiet fortaſſe dicere vtramq; affectionem eſſe puſtulas calidas, & humidas: uel parum quid addere, nam cum hæ circunſtantiæ tantum aliquid pro curatione vtile indicent: ab his vero reliquæ nihil utile oſtendant, artificum munus eſt illis in primis genus colligere, cætera vero omnino prætermitten

Halyab. l. 8. Theor. cap. 14.

termitten

termittere. Sed hoc diligentius ſequenti capite examinandum.

Quorundam Recentiorum ſententia de Variolarum genere ad recenſum ducitur. Cap. VII.

IN puſtulis his, quas variolarum, & morbillorum genere fecimus plurimæ conſiderantur circunſtantiæ, quæ quoniam videntur ad illarum genus proximum conſtituendum conducere à quibuſdã recentioribus generi aſcribuntur: & in definitione aſſumuntur. Cum enim puſtulæ iſtæ inducant aſperitatem in ſuperficie: ſoluant contiguitatem cutis cum cuticula, & cutis cum carne: faciant in meatibus raritatem, & denſitatem, cenſent iſti clariſſimi ſcriptores hęc omnia variolarum genere eſſe comprehendenda. Sed illud quoq; addunt in variolis non conſiderari ſolutionem cõtinuitatis partium ſimilarium: nam præter ſeparationem contiguitatis, quam habet epidermis cum cute, & cutis cum carne, quam diuidi, & ſolui certum eſt, vnitas deinde cutis, aut epidermidis non propterea ſoluitur. & quamquam dolor concomitari ſoleat variolas veluti umbra corpus: tamen neq; ille dolor eſt in omnibus variolis: cum pulmo, alięq; partes ſenſu tactus deſtitutæ uariolis corripiantur, neq; tamen pruriant aut doleant: neq; rurſum omnibus uariolis annectitur ſanies, & pus, ſed multæ per inſenſibilem halitum digeruntur atq; ſaneſcunt. Neque vero patiuntur alii definiti variolas ſine doloris, & pruritus, & ſani ei comprehenſione, qui uolunt talem formari genericam (vt ſic dicam,) quiditatem uariolarum. Variolæ ſunt puſtulæ calidæ, humidę, caliditate, & humiditate morbifica, antedictis morbis ſcilicet in contiguitate, in

aſpe-

aſperitate, in raritate coniunctæ: atq; hoc faciunt genus, hanc condunt formalitatem (ſic namq; mihi libet cum his hoc loco loqui) variolarum, & morbillorum. Sed præſtat aliquantulum hic immorari, nam neq; bene mihi uidentur aliqua prætermitti: neq; rurſum bene aliqua comprehendi: ut opus hoc loco mihi eſſe incerniculo, & cribro ſatis intelligam. Ac primum quidem quod dicitur in variolis non ſolui continuitatem partium ſimilarium, ſi abſolute pronunciatum ſit, verum non erit: nam in uariolis omnibus, qui ueniunt ad ſuppurationem, ſenſibus ipſis apparet ſolui continuitatem cuticulæ & cutis: cuius rei argumentum eſt quidquid veſtigiarum remanet in affecta parte: nemo enim unquam uariolis ſuppuratis tentatus fuit quin foueę, & ueſtigia euidentiſſima non fuerint obſeruata in quacunq; corporis parte puſtulæ illæ in pus verſæ fuerint: quinimo mihi uideor poſſe affirmare in his non modo fuiſſe cutem, & cuticulam diuiſam, & ſolutam ſecundum eius continuitatem: verum eſſe in magnitudine diminuta: nam ſanies exſcauando, & corrodendo cutem, & cuticulam de magnitudine atq; ſubſtantia vtriuſq; in illis detraxit atq; diminuit: argumentum eſt ſuperſtes fouea, quæ inſanabilis propterea perſtat, quod partes ſpermaticę quorum ordini cutis aſcribitur ſecundum amiſſas portiones nunquam redimi, reſtituiq; ſolent. itaq; ad uariolas quod attinet, & primum quidem ad eas, quæ ſuppurant, non bene aut firmiter ſtatutum eſt, in illis ſolui ſolam contiguitatem diſſimilarium, non ſolui autem vnitatem ſeu continuitatem ſimilaris ſubſtantiæ. At de illis uariolis (licet hoc loco uariolarum & morbillorum nomina ſimul miſcere) quæ inſenſibili ha

litu

litu digeruntur quid dicendum? forte uerum in his eſt ſimilarem cuticulæ ſubſtantiam non ſolui? Teſtis huius ueritatis ſit ſenſus ipſe, alioquin inculpabilis, & ſincerus earum rerum iudex, quæ ad ipſum pertinent. quis enim quæſo non obſeruauit in iis etiam, qui morbillos paſſi ſunt, & actu ipſo patiuntur: deradi, ac ueluti uſtione quadam diſſipari, & deperdi illam cuticulam uniuerſam, quæ morbillis uel fuit detenta, uel detinetur? quin & ſcalptu illam diuelli, & dirimi ineuitabili quodam interitu? & quamquam vbi ad ſanitatem reuerſa eſt cuticula ſuæ huius iacturæ ueſtigia nõ retineat, quod euenire in deperditione cutis ex ſuppuratis uariolis iam diximus: id tamen non aliam ob cauſſam fit, quam, quia quidquid cuticulæ deperditur id totum etiam reſtituitur, & reparatur: ſic enim fert illius natura, & materia, ex qua genita eſt, quemadmodum nos alibi fuſe, & lucide ſatis demonſtrauimus. ſoluitur igitur cutis non modo contiguitas, ſed etiam continuitas in morbillis, & variolis: ac proinde hoc grauiſſimi ſcriptoris dogma nõ ita facile recipiendum eſt, quin potius etiam interdicendum: At quod addit, non debere in genere harum puſtularum comprehendi pruritum, aut dolorem, habet non nihil difficultatis, quæ propter iuniores prætermitti non debet: nam uere hoc puſtularum genus ſuapte natura doloroſum, & pruritoſum eſt: neq; aliqua alia cauſſa facere poteſt quin & pruritum, & dolorem habeat, quam pars ipſa, in qua excitatur, ſi modo ſenſu careat: ſi enim in partem ſenſu tactus prędıtam incidat, ut pruritum, & dolorem excitet, atq; comportet neceſſe eſt. quod niſi hoc faciat in cauſſa erit non ipſius puſtulæ ſed partis affectæ natura: ex quo enim fit ta-

lib. p. de Affect. ad Turpitud. attinentibus cap. x.

lis puſtula calida,& humida,ex eo etiam fit prurituoſa, & doloroſa. itaq; ſi in partem incidat,quæ pruritus ſit capax ut cutis,& cuti particulæ reſpondentibus,aut in partem, quæ doloris ſit ſuſceptiua qualis eſt pars, quælibet ſentiens,ut dolorem inferat omnis cogit neceſſitas. ſuo autem loco oſtendemus cutem , & cuti proportione conſentaneas partes,eſſe materiam ſubiectam harum puſtularũ, at uiſcerũ mẽbranæ cutis uicẽ gerũt:& ſenſu tactus præditæ ſunt omnes:quare in omnibus puſtulę iſtę dolebunt,etiam ſi non in omnibus prurient: magis & minus tamen pro maiori uel minori ſenſus participatione. Certe viſcerum finitimorum tepor anodyni medicamenti uice moleſtam inæqualitatem & dolorem ſedat , ut etiam in obtuſi ſenſus partibus,quales viſcera eſſe ſolent,&dolorem& pruritum ſi cauſſam non uſqueadeo uehementis actiuitatis nanciſcatur prorſus etiam adimat. Nõ ergo ità flagitioſum eſſet has puſtulas vocare prurituoſas: ſi modo aliqua ex hoc ad curationem utilitas reſultaret. Sed cum de hac tum de antedicta, & de aliis proxime dicemus.Porrò iam ſuccedit& tertium notatu dignum , quo iſti in genere harum puſtularum omnes illos morbos, ſcilicet & in aſperitate,& in raritate accipiunt: ſiquidem & hæc & alia omnia huius ordinis logica ſunt potius , & in hoc uitio ratione tantum contemplabilia , quam vſum aliquem in arte habentia: quis enim in uariolis, morbilliſq; curandis , indicationes curatiuas haurit à cutis denſitate: à cutis aſperitate? Non ne huius ipſius ſententiæ auctores dum in curatrice methodo uariolis competente uerſantur, eas indicationes,quas nobis denſitas , & aſperitas ſuppeditant, logicas,& propterea dimittendas prædicant?

cur ergo illas in definitionibus medicis locum ha bere contendunt? Non ne contemneretur tanquã logicæ diſciplinæ imperitus, qui hominem definiturus, pro ijs, quæ ad eſſentiam pertinent, acciden talia quædam acciperet: &pro illis hæc adhiberet? Itaq; ſi conſtituatur hominis definitio, quod ſit bi pes, greſſilis, riſibilis, & prætermittatur quod ſit animal, quod ſit rationis particeps, an quæſo ſpecta tum admiſſi, riſum teneatis amici? Adde quod ſi de aſpritudine ſeu aſperitate cutis loquamur, nul libi in cute plures puſtulæ reperiri poſſunt, quæ itẽ aſpritudini coniunctæ non ſint: cum enim ſint cũ extuberantia, non poſſunt non parere, & inęqualitatem, & propterea etiam quandam aſperitatem in cute: vt hæc ſit quędam conditio alterius conſecu tiua. Mihi potius uideretur conſultum ut alias harum puſtularum circunſtantias addentes eas conſectaremur, quæ uel cognitioni illarum, uel etiam curationi ſeruire poſſunt: ut quod ſint rubræ, & ro tundæ: nam cum non habeamus unicum nomen, quo integre genus ſeu forma harum puſtularum proxime exprimi poſſit, non imperite fit ſi illæ cõditiones proponuntur, quæ magis intrinſece ab eſ ſentialibus illarum fluunt: hæ enim & ad cognitio nem, & ad curationem apprime conducunt. Quocirca ſi bene, quæ de genere uariolarum, & morbillorum afferri legitime poſſunt expendantur, ſatius erit hoc illis genus aſſignare. Variolæ, & mor billi ſunt puſtulæ, calidæ, & humidæ, rubræ, rotun dæ, ſuapte natura prurituoſæ. reliquas prætermittimus antedictas circunſtantias tanquam nihil ad cognitionem nihil ad curationem conducentes: & in primis ab his omnibus dependentes. At hoc loco quærunt ulterius debeat ne addi febris in hac

forma

forma ſeu in hoc genere aſſignando . Atque alii putant non eſſe neceſſarium : alii cenſent omnino neceſſarium eſſe febrem adiungi , Dirimetur difficultas ſi conſtabit repertos aliquando variolas qui prorſus ſine febre fuerint. Qua in re Auenzoar ſcribit euenire variolas , & morbillos pro maiori parte cum febre valida . Dictum Auenzoar facit multis maius dubium,nam videtur ex eo ſuponere variolas,& morbillos in omnibus eſſe cum febre vbi erumpunt, vel ſaltem vbi fit ebullitio ſanguinis propter quam erumpunt deinde variolæ. verum pro maiori parte tantum hanc febrem eſſe validam: cum in alijs eſſe ſoleat non ita valida. Auicenna quoq; videtur affirmare variolas aut eſſe ante febrem, aut ſuccedere febribus,itaut non tranſeat ægritudo illa ſine febre aliqua. Neque ab hac ſententia procul abeſt Raſis , qui adeo cenſuit variolas,morbilloſq; febri coniungi,vt de illis titulo febrium peſtiferarum egerit, quemadmodum ſupra dictum eſt. Vt ab his ſcriptoribus affirmari iã pateat variolas , vt plurimum,& pro maiori parte eſſe cum febre aliqua: quo fit vt videatur vel dari poſſe tempus variolarum in quo illi ſine febre ſint: vel præterea gigni poſſe variolas, qui nunquam coniunctam habuerint febrem: atq; re vera vtrũq; fieri poſſe non negarim: nam interdum euenit vt variolæ pauci erumpant,&gignantur ex pauca materia leuiter efferueſcente in ambitu corporis, & habente impetum non in cor ſed in cutem externam: quo in caſu cum non mittantur fuligines putridæ ad cor vnde putrida febris accendi: neque mittatur per partem poſt partem qualitas calida pariter ad cor, vnde ephemera excitari febris poſſit,fiet eruptio aliqua variolarum,in qua nulla ob-

Auenzoar.li. 2. tr.7.cap.3.

Auic.lib.4. Fen. 1.tr.4.cap.6.

Raſis xxx.continentis.

ſeruabitur febris: Similiter quoque interdum eue nit, vt variolæ erumpant ſatis copioſe, & ab ea eru ptione non fiat noua ebullitio, immo, quæ antea ef ferueſcebat vniuerſa per eam eruptionem in cutē expurgata ſit: neque tamen variolæ abſedant, neque ad pus aut ad ſaniem vertantur: quo qui dem in caſu, cum neque propter ebullitionem, quę nul la amplius fit, gignatur febris aliqua principalis: neque propter variolarum abſeſſum, qui nullus ſuc cedit, accendatur febris accidentalis, & conſectaria: dabuntur variolæ ſine febre aliqua: illi quidē ſine vlla prorſus: hi vero ſine alia pręter iam præteritam. Sed ad hos poſteriores quod attinet, poſteaquam illis iam coniuncta fuit febris, non eſt vt dicamus illos ex eorum genere eſſe, qui carent febre: nam etſi illa ceſſerit, & non reuertatur amplius: non tamen id facit quin illi dici ſine febre poſſint: quanquam enim tunc carent febre, iam in declinatione ſunt, & iam ad ſalutem feſtinant: vnde iam incipiunt deſinere, & amittere ſuam ſpe ciem: quemadmodum namq; domus, quę fuerat antea, ſi diſſoluatur in lapides, lateres, & ligna, & ſola veſtigia, vel etiam fundamenta remaneant nō dicitur amplius domus: ſic morbi omnes cum amittunt ſuas vires, has proprietates, ſua accidētia, & ſuam ſpeciem, quo tempore relinquunt aliqua veſtigia, & iam ſunt in declinatione, nomen, & naturam perdunt, & iam eſſe deſinunt: quod etiam video à Galeno notari incoatæ domus exemplo, in morborum principio; Ad alios vero variolas, quos ſupponimus adeo mittes, vt nullam prorſus febrē concitent: & ſi hoc concedamus, tamen non propterea concedemus eos eſſe ex ordine variolarum, qui ex artis vſu ſint: ſunt enim variolæ ex artis vſu

Gal.1.de loc.aff. cap.2.

ſu

ſu, ſi medica ope opus habeant: ſi ſua ſponte ſanarĩ non ſoleant, quemadmodum à Galeno determinatum eſt: cum ergo (ſi modo dätur variolæ huius ordinis) illi ſint, qui neque moleſtiam afferant vllam: neque metum aut laborem ægrotantibus: & ſua ſponte ſaneſcant; nulla functionibus illata iniuria: iam conſtat illos non eſſe ex artis vſu: & eſſe propterea ab hoc cenſu, ab hoc ordine ablegandos: quo fit vt ad illos medicus ſermo non ſit ordinatus: Propter hæc omnia, ſine dubio veteres arabes omnes quot quot de variolis perſcripſerunt, febrẽ cum variolis coniungi ſcripſerunt, hi quidem validam: hi vero validam vt plurimum: ſed eos non ſine febre deſcripſere. Sic præter ſupra citatos ſcriptores Rabi Moyſes: ſic Auerroas: ſic Iſahac Iſraelita ſic alii omnes febrem cum uariolis ſupponũt Cum igitur ex his pateat nullos uariolas ex uſu artis reperiri in humanis corporibus poſſe febris expertes, iam credimus illorum eſſe & probandam, & imitandam ſententiam, qui huic uariolarum generis deſcriptioni continuam febrem adnectendam conſulunt. Erunt propterea conditiones genus uariolarum conſtituentes omnino iſtæ. Variolæ ſunt puſtulę calidę, humidæ, rubrę, rotundæ, ſuapte natura doloroſæ, cum febre continua. atq; hæc uariolarum, & morbillorum erit forma: hoc erit genus.

Rabi Moyſes .x. contin.
Auer. 3. Colliget cap. 8.
Iſahac Iſraelita lib. 7. Viatici c. 8

Generis Variolarum deſcriptio proxima.

De Materia, ex qua fiunt Variolæ, & Morbilli.
Cap. VIII.

NIhil magis in uariolarum ſermone controuerſum eſt apud Medicos, quam materiæ, ex qua illi fiunt cognitio: dabimus tamen operam ut hęc quoq; controuerſia quam facillime dirimatur.

In

In primis autem aliorum ſententias audire, atq; ſimul examinare opportunum uidetur. Ac primum quidem uiget quorundam opinio, quam neq; Manardus Ferrarienſis iudicat contemnendam, quãq; & medicorum, & plebis vulgus colere uidetur, gigni variolas, & morbillos à ſolo ſanguine menſtruo ferueſcente, ebullienteq; primum: mox abſcedente à bono, & ad cutem impetum habente. & huic ſententiæ patrocinantur quamplurimi ex recentioribus medicis, & inter Arabas Auerroes: Iſahac Iſraelita: & Abymeron ſeu Auenzoar. Nã quod ad Auicennam, & ad Raſim, & ad Nicolaũ florentinum, & ad Alios Arabas, Arabumq; ſectatores attinet oſtendemus hanc ſententiam ab his multopere diſtare, & hos claſſicos viros longe diuerſam opinionem fuiſſe meditatos. Iam verò qui opinantur gigni ſemper variolas, & morbillos ex illa impuritate alimenti fætus, ſunt adhuc in claſſes diſtincti: nam alii dicunt materiam harum puſtularum eſſe ſanguinem malum menſtrualem, ex quo nutritur fætus, Sic ſcribit Auenzoar. materia

Ioannes Manardus. 7. Epiſtolarum. Epiſt. 2.

Auer. 3. colliget c. 8.

Iſahac li. 7. via. c. 8.

Auenzoar lib. 2. tract. 7. c. 3.

Auenzoar lo. ci.

" (inquit) harum paſſionum eſt ſanguis corruptus,
" & malus menſtrualis, ex quo nutritur embrio in
" vtero matris per vmbilicum: Et Auicena inter
" alias cauſſas materiales variolarum, morbillorũq;
" hanc eamdem recenſet, Et de hoc eſt cuius cauſ-
" ſa eſt res quaſi naturalis faciens ebullitionem ſan-
" guinis vt expellatur ab eo illud, quod admiſcetur
" ei de reliquiis nutrimenti ſui menſtrualis, quod e-
" rat in hora impregnationis. Iſahac quoq; Iſraelita fieri (inquit) uariolas ob eam cauſſam, quod in utero matris in ipſa conceptione eorum materia fit, & deinde nato in lucem fætu, propter cauſſam aliquam mouentem illam materiam natura expellit

Auic. 1. 4. tra. 4 c. 6.

Iſahac lib. feb. cap. 5.

lit eam ad cutem, & facit uariolas. Sed ſtatim in illius capitis principio unum dicit Iſahac, quod magna eſt conſideratione dignum: quod quoniam pertinet ad locum, in quo ſubſidet hęc materia, in eam diſputationem differemus, quam de mineræ loco faciemus. Hoc idem ſenſit Raſis, qui inter cauſſas materiales ſanguinem menſtrualem reſeruatum ab vtero infætu tanquam unam uariolarũ cauſſam recenſet. Itaq; iſti de materia uariolarũ duo affirmant: primum quod hæc materia ſit portio ſanguinis in fætu ex menſtruo attracti: Secundo, quod hæc materia ſit uitioſa, & mala, Alii uero inter quos eminet Alexander Petronius, ſcribunt materiam variolarum quemadmodum quoq; morbi gallici, eſſe ſuperfluitatem quandam alimenti fætus; & in hoc conuenit cum Arabibus. Sed addit hanc ſuperfluitatem eſſe putridam, & corruptam: nam cum fætus habeat abundans, & ſuperfluum alimentum, itaut nunquam abſumat totum illud alimentum, quod ad ipſum demittitur à toto corpore, partes illæ ſuperfluæ putreſcunt, & corrumpuntur. atq; ſic putridæ, & corruptæ ſeruantur, donec ex aliqua cauſſa mouente expellantur, facturæ has ægritudines. Audiamus ſimul utriusq; ſectę rationes: poſteaquã utraq; tandem uidetur in unum conſpirare. Prima ratio deſumpta uidetur ex communi uulgi opinione, quam etiam adducit Manardus Ferrarienſis: Creditur enim communiter uariolas, & morbillos eſſe purgamentum quodam, quod facit fætus extra uterum: qui repurgat impuritates illas ſanguinis, à quibus affectus fuerat dum in vtero nutriretur. monet autem Ariſt. uulgarem famã non eſſe omnino negligendam: qui etiam adhibet frequenter

Quodam dictũ Iſahac Iſraelita de loco mineræ Variolarum, notatu dignum. Raſis li. x. Cont. cap.

Alex. Petronius de Morb. Galli.

Ioannes Manardus li. 7. epiſtol. Epiſt. 2.

quenter ad ſententias aliquas confirmandas uulgare hominum placitum. Prima ratio deſumitur ex euidenti coniectura, in qua ſpectamus neminem mortalium deuitare poſſe hoc genus ægritudinis: quod cum Auer. & Iſahac, tum alii, ipſaq; experientia docuerunt. Cum ergo hæc ægritudo ſit fere omnibus (vt ait Auer.) naturalis omnibuſq; propterea accidat, ut cauſſam quoq; & omnibus coniuctam, & omnibus naturalem, quæ poſſit facere hanc affectionem ſequatur neceſſe eſt: cumq; non poſſit excogitari aliqua alia cauſſa, & omnibus cõmunis, & omnibus ferè naturalis, à qua fieri hic morbus poſſit præter iam relatã, iure ſit ut ea cauſſa unica ac ſingularis horum malorum origo & materia peribeatur. Tertia Ratio deſumitur ex naturę ſolertia; quæ non debet prætermittere ullum genus expurgationis, à qua poſſit iuuari fætus: atque hoc loco quattuor proponuntur repurgamenta fætus: Prima quam fætus facit ad duas membranas dum in utero eſt, ut notat Galenus. Secunda quam ſtatim editus infans facit per inteſtina, vt Ariſtoteles animaduertit. Tertia quã molitur infans iam prouectior factus, per acores, & pſidracia, aliaq; vlcera manantia capitis, ut docet Galenus. Quarta futura erat hæc ipſa per uariolas, & per morbillos, qua mundaretur ſanguis uniuerſumq; alimentum. Cum igitur non debuerit natura alioqui benigniſſima mater, inuidere omnium nobiliſſimo animali aliquod genus expurgationis, à quo illud poſſet iuuari, & in meliorem uitam progredi, non oportuit aliam eſſe uariolarum, morbillorumq; materiam præter eam, quam proxime iſti attulerunt, poſteaquam illius interuẽtu ſit hæc ſuperflui excrementi ab alimento expurgatio.

Auer. & Iſahac loc. cit.

Gal. 1. de ſympt. cauſ. c. 7.
Ariſt. li. 7. de Hiſtor. animal. c. x.
Gal. 1. de comp. medic. loc. c. vlt.

Sententia cuiuſdam Recentioris de Variolarum & Morbillorum materia.

gatio. Qui putāt Variolas, & morbillos eſſe affectionē nouā, quæ poſt antiquorum Hippocratisq; potisſimum & Galeni tempora cęperit aliam ab hac opinionem attulerunt. quam ſane, quoniam doctiſſimus, & noſtris his ſeculis celeberrimus medicus inuehit, audire optabilisſimum eſſe debet Scribit hic eruditus, & clarus doctor materiam uariolarum & morbillorum eſſe ichores ſanguinis ebullientes, qui ad talem diſpoſitionem feruntur, naturalem ob conditionem quam quiſq; in ſemine contrahit: nam ex quacunq; cauſſa ortum traxerint uariolæ primi, primiq; morbilli, ab ea priori infectione deinde temporum progresſione, permiſtis ſeminibus, ſuccesſiue diſſeminata eſt lues, & infectio in humanum genus uniuerſum: unde nemo mortalium fugit eam diſpoſitionem. Atque quod uariolæ, & morbilli materiam habeāt ichores ſanguinis ebullientes probat hic ſcriptor multis argumentis, quæ quoniam eam partem probant, quam nos in hac doctrina ueram cenſemus, hoc loco prætermittimus, cum illa, & alia ſimus allaturi, quo loco noſtram explicabimus opinionem. quod uero à ſemine prodeat hęc infectio, & ſuccesſiua parentum ſobolis propagatione, eo tantum ſigno, demonſtratur, quod nemo deuitare poteſt hoc morbi genus uitę ſuę curriculo. argumentum euidens, eam ægritudinem nobiſcum naſci: & illius ſemina in ſemine, atq; in principiis conceptionis communicari, atq; diffundi. Tertia ſuccedit illorum ſententia, qui uariolas, & morbillos à cæca, & abdita quadam cauſſa, & à maligno quodam cęli ſtatu proficiſci rentur. hancq; confirmāt his argumentis. Primo Variolę, & morbilli æque fiunt temporibus calidis, & frigidis: nebuloſis, atq;

Aliorum Recentiores qui Ioannem Fernelium ſecuntur ſententia.

Primum Argumentum.

ſerenis: humidis ac ſiccis: non ergo habent maniſeſtam aliquam ex his cauſſam, ſed ſibi priuatam & abditam aſciſcunt. Secundo, Accidentia quæ uariolis morbillisq; coniunguntur, multigena, & uaria ſunt: ſed ſunt etiam ſæua, & maligna. atqui ab unica cauſſa euidenti illa pendere non poſſunt, reliquum ergo eſt ut malignam, & cæcam habeant. Tertio, Vrinæ illorum, qui ea lue detinentur, uel nihil uel parum admodum uidentur mutatæ à ſtatu naturali: & nihil uel putredinis, uel exceſſus caliditatis ſignificant: quare oportet etiam uariolas ab alia cauſsa quam à putredine aut caliditate, aliaue, ſimili cauſſa, quæ alioqui in urinis ſolet manifeſtari, dependere. Quarto nullus affectus inuenitur, qui æqualiter cutem externam, & uiſcera detineat, atq; iſta affectio ſolet afficere: oportet ergo hanc ipſam affectionem ab aliqua cauſſa nobis ignota naſci, à qua etiam tam dirus affectus oriri poſſit. Quinto uariolæ, & morbilli certis quibuſdam anni temporibus ſilent: nec quouis anni tempore uagantur: ſignum quod hi quoque quemadmodum carbunculi peſtilentes ex maligno cæli ſtatu perficiſcuntur. Sexto in uariolis ſymptomata, quæ circa anhelitum, circa caput, circa oculos, circa faciem apparent, teſtari uidentur uariolas oriri ex aere inſpirato maligna qualitate infecto. Poſtremo additur morbi deformitas, propterquam corpora uariolis infecta in tantam defædationem, in tantum horrorem ueniunt, ut illis corporibus æquiparari poſſint, quæ à furca deponuntur. at hãc tantam deformitatem ordinaria aliqua cauſſa inducere non eſt potis. Itaq; ſi Fernelium de materia uariolarum interroges, reſpondebit ex quocumq; humore, & primum quidem ex ſanguine illos fieri.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum & poſtremum.

ri. Sed ſummam huius materiæ eſſe ueneficam, & malignam. Atq; hæ potiores ſunt ſententiæ de materia uariolarum, & morbillorum, in quibus præſtat ſeorſum aliquantulum immorari; vt facilius nobis ſit, eam, quam ueram putamus opinionem, & explicare, & confirmare.

Examinatur prior opinio de materia Variolarum, & Morbillorum Cap. IX.

GIgni poſſe aliquas differentias uariolarum, & morbillorum ab inquimentis alimenti fætus nos negare non audemus. Sed quaſcunq; uariolarum & morbillorum cauſſas eadem ex materia & non ex alia generari, & negamus, & ut alii idem faciant hortamur. hanc ob cauſſam allata omnia argumenta, quæ probant gigni uariolas, & morbillos ex uitio alimenti fætus, recipimus ea in parte, in qua doceant non ſemper, non omnes uariolarum differentias: ſed aliquando & quaſdam tantum eã habere ſuæ generationis materiam. hanc autem partem quoniam ſuo loco demonſtraturi ſumus, non ulterius nunc confirmabimus. Quoniam uero Ioannes Fernelius, & Ferneliani hanc quoq; impugnant, & uariolas nullos: nulloſq; morbillos, ab ea materia: omnes uero a maligna gigni contendunt, quamobrem multis argumentis hãc particulam exagitant: nos ſingillatim hæc illorum argumenta audiamus, ſimul, & expendamus. Primum argumentum eſt hoc. Si à menſtrui ſanguinis inquinamento uariolæ excitarentur: ergo mulieres ſtatim ut incidunt in ſuppresſionem menſium uariolis detinerentur: At hoc experientiæ eſt aduerſiſſimum: ſupereſt ergo uariolas non gigni à ſanguinis menſtrui infectione. Secundum *Primum argumentum.* *Secundum.*

argumentum eſt Iſtud. Infans in utero, optimo, puroq; ſanguine nutritur, quemadmodum cum Hippocrate, & Galeno, Auicenna docuit; ergo nō exugit coinquinatum alimentum, quod debeat deinde expurgari per uariolas. Tertium huiuſmodi ſuccedit argumentum. Inquinamentum hoc ſanguinis menſtrui in fætu non uidetur poſſe conſeruari etiam in homine iam adulto, immo cō ſiſtenti, & ſene: cum hoc annorum curriculo uarias ille ſubeat ægritudines: multoties expurgetur cum ſponte tum medicorum ope: ſanguis illi educatur modo per ſpontaneas hæmoragias, modo per uenam ab artifice diſſectam: ſed neceſſarium eſt his in mutationibus illud inquinamentum modo ante pubertatem, modo ante iuuentutem, modo ante ſenectutem diſſipari: nunc tamē uidemus variolas interdum iuuenilem, interdum adoleſcentem, interdum ſenilem ætatem hominū vexare: argumentum ergo fit. hanc ęgritudinem non pendere à materia hac menſtruali, in fætu concepta: ſed ab alia aduentitia, & extrinſecus accedente. Quarto & Quinto Ita Fernelius diſputat. Cum omnes in vtero inficiantur eo menſtruali inquinamento, oporteret etiam, & ſingulos affici uariolis, aut morbillis: & ſingulos unica tantum uice: at multos uidimus, qui obierunt ſenes qui tamen non ſunt experti uariolas, aut morbillos, & multos alios, qui bis variolis tentati ſunt reliquū eſt igitur, uariolas, & morbillos, non pendere ab ea menſtrua infectione. Poſſumus nos aliaſquoq; addere rationes, quæ ad id confirmandum momenti nonnihil habere uidentur, ac primum quidem, quod Sextum in ordine fuerit, ſi ex menſtruali inquinamento uariolæ, & morbilli hominibus con-

Hipp. de Nat. Pueri
Gal. li. 1. de ſemine, & primo de atra bile.
Auic. lib. 3. Fen 21. tr. 1. cap. 2.
Tertium.

Quartum, & Quintum argumentum.

Sextum.

contingerent, iam & animalium ſanguineorum cuiq; eos contingere oporteret: conſequentia deducitur, cum animalium ſanguineorum unumquodque in matris utero ex menſtruo ſanguine alatur: at plurima ſunt alia animalia præter hominem quorum nulli uariolæ uel morbilli obueniunt, reſtat ergo uariolas, & morbillos non conſequi eam menſtrualem infectionem. Adde quod ſi hoc eſſet uerum oporteret aliquando obſeuatum eſſe, ut infans in vtero abſq; quod mater uariolas pateretur, tētatus ēēt uariolis, aut morbillis: at nuſquam hoc eſt obſeruantum, quare neq; illud uerum uider, neceſſitatē conſecutionis inferimus, quoniam ſæpe infantes in utero patiuntur alias multas ægritudines, quas etiam in lucem editi patiuntur: quod ſi hoc contingit de aliis uitiis ut etiam de uariolis contingat neceſſe eſt. His ergo & ſimilibus rationibus demonſtrari fortaſſe putant Ferneliani uariolas ex alia materia, quam ex inquinato fætus alimento originem trahere. Sed nos ad ſingulas reſpondeamus, initio ſumpto à prima. Adquam quidem dum nonnulli ex recentioribus reſpondent, dicunt fieri poſſe ut in nonnullis mulieribus, quibus ſuppreſſæ ſint menſtruæ purgationes, ſi modo in illis uigeant, redundentq; humores tenues, uariolæ, & morbilli; propter illam euacuationē cohibitam concitentur: & in reliquis, quibus menſtrua deficiunt propter obſtructiones à craſſiore ſanguine excitatas, non modo non eſt neceſſariū gigni uariolas ſed cum illæ propter humorum craſſitiem minime exutero expurgentur: multo minus poterunt per uenas capillares, ac ſubinde per uteri uenas expurgari: Verum hæc reſponſio, & ſi ſpecioſa uidetur, non tamen

Septimum.

Reſponſio ad argumentum allatū à quodam recentiore.

Impugnatio huius reſponſionis.

tamen germanam affert rationem ob quam dubitantes quieſcere, & ab hæſitationibus uacare debeant. Nam non ſufficit docere, apparituras eſſe uariolas ſi mulieres, quibus menſes detinentur, abundent tenuibus excrementis. præter quam .n. quod credi pōt in maſſa craſſorum humorum, qui detinentur non etiam reperiri tenues, & ichoroſos. cum uel nunquam, uel quam rariſſimum contingat ſinceros humores in animalis corpore inueniri: Illud quoq; addendum uidetur, exigi etiam efferueſcentiam, atq; ebullitionem humorum ita ut illius merito fiat ſeparatio, & expulſio ad cutim ipſorum uariolarum: quantumcunq; etenim ſcateat corpus tenuibus ſuperfluitatibus: quantumcunq; menſtruata mulier, cui detineatur ſolita uacuatio, ichoribus abundet: quantumcunq; ad cutaneas regiones iſti ichores propellantur, nunquàm tamen uariolæ inde contingent niſi ferueant illi ichores in uenis, uel in ambitu corporis, uel demum in aliqua alia corporis regione: & non modo erit neceſſaria hæc efferueſcentia: hęc ebullitio, uerum etiam requiretur particularis ea efferueſcentia: particulare illud genus ebullitionis, quod ad formandos uariolas ſit idoneum: quocirca aliam nos afferamus reſponſionem, quæ ſcilicet ex hac impugnata colligi poſſit. nam quod cōſecutione quadam colligit Fernelius, futurum ut iſtæ mulieres, quibus uel propter prægnationem, uel propter obſtructionem uteri, ſuppreſſa ſint mēſtrua, tententur uariolis, & morbillis, à nobis per negatur: ad hoc enim ut uariolæ ex cohibito menſtruo ſanguine gignantur, exigitur certa illa efferueſcentia, atq; collectio ichoroſæ ſubſtantiæ cęteris per miſtæ humoribus: in quam cum non ita facile

Alia ſolutio prioris argumenti Fernelij

cile

cile incurrant mulieres , nulli mirum ſi aut nunquã , aut quam rariſſime illæ propter hanc cauſsã detineantur variolis: Ad quod reſpexiſſe Auicẽnam credi debet dum inter cauſſas uariolarum aſſerebat ſanguinem præter naturam detentum : nõ modo enim uolebat Auicena detentionem ſanguinis conſpirare ad uariolarum generationem: ſed præterea exigebat efferueſcentiã etiam ipſius: ſine qua facile concedebat gigni uariolas non poſſe, uti ipſe euidentisſime etiam animaduertit. Succedit ſecundum argumentum Fernelii: In cuius ſolutione, quod à multis in controuerſiam uertitur nos libere, tanquam optimis medicis ſatis probatum, accipiamus ; nutriri ſcilicet fætum in utero matris laudatisſimo, & optimo, non vero deteriori aut malo ſanguine: quod non modo eſt à Galeno , Hippocrateq; ſed ab Auicena & pasſim à medicorum optimis omnibus præacceptum, atq; ipſa etiam ratione perſuaſum hęc enim nobis fidẽ facit naturam cum in aliis omnibus, tum in nutritione fętus ſolicitam & ſolertem eſſe : ac proinde non admittere fætum, in cuius cuſtodiam tota incumbit, impuro & uitioſo ſanguine ali, ipſaſq; ægritudines haurire. Dum autem hoc dicimus ſtatim etiam duo alia concedimus. Primum ſępe contingere ut in defectu optimi illius & ſceleƈtiſſimi ſanguinis, fætus etiam impurum, & deteriorem exugat. Secundo fieri poſſe, ut qui ſanguis purus & ſcelectus à nobis eſt dictus , & quo nutriri legitime & naturaliter fætum affirmauimus , retineat qualitates & circunſtantias aliquas, quæ nõ uſquequaq; bonę ſint, nam in quantumcunq; laudabili & probo ſanguine menſtruo propter comercium mutuum probi cum improbo , interdum non põt

Ad ſecundũ argumentum Fernelii Reſponſio.

bonus

bonus exuere quancunq; impuritatem, itaut integre incontaminatus, & prauę cuiuſcunq; qualitatis expers remaneat. quo fit vt etiam ſi fætus optimo & inculpabiliori alatur; tamen attrahat etiã cum hoc optimo non nihil mali & uitioſi: hic autem uitioſus & malus remanens in uenis, arteriis & fortaſſe in aliis locis ſuperſtes miſtus tamen reliquo qui in iisdem locis ſeruatur; propter ſeparationem, quæ deinde tempore fit ebullitionis faciat, ad cutem repulſus, uariolas & morbillos. Hoc libentius dico, quam id, quod uideo ſcribi à quibuſdam recentioribus, ſcilicet cum puro hoc ſanguine influere in uenas infantis etiam ſanguinem uitiatum: neq; enim menſtruus ſanguis mulieris influit in infantis uenas ueluti in euripum: ſed confluit attractus à fætu, uti dictum eſt. Quod in tertio argumento obiiciebat Fernelius, non poſſe ſeruari hanc ſanguinis ebullitionem ad annos 30. aut 40. in quibus ſæpe, & in intermediis annis obſeruatum eſt homines fuiſſe corruptos uariolis, eſſet optime allatum, ſi uariolas omnes ſtatueremus ab hoc menſtrui ſanguinis coinquinamento ferueſcente gigni: nunc quoniam cum Auicena reliquiſq; fere Arabibus putamus etiam ex prauis cibis gigni poſſe materiam variolarum, hinc fit ut non ſit mirum ſi etiam in hac ætate tam grandi cernantur uariolæ. Præter quam quod uidimus aliis etiam in morbis, qui hęreditaria labe in nobis fiunt, nõ ſtatim in pueritia nobis ſuccedere. ſiquidẽ comperti ſunt & nephritici & arthritici filii, qui parentes nephriticos, & arthriticos habuerunt, qui tamen non ſenſerunt paternas illas labes ante quadrageſimum, aliqui ante quinquageſimum annũ: ad hoc enim multopere conducit uitæ genus, quo

Recentioris in curia.

Tertium arg. ſol uitur.

quiſq; utitur. fieri.n. poteſt, ut filius ex genitore arthritico procreatus, propter moderatam, & decentem in primis uero illi ægritudini deuitandæ idoneam uiuendi normam, ſe ipſum præſeruauerit ab eo paterno uitio uſq; ad ſenium: cum tamen alius uix decimum nonum ætatis annũ attigerit, quod paternam calamitatem experiri cœperit: id in eo moliente intemperata uitæ ratione: & id ipſum in eo efficientibus corruptis uitæ ſtudiis, Quartum & Quintum argumentum leuitate laborant: nam neq; neceſſarium eſt ut hoc coinquinamentum migret in uariolas: cum ſoleat natura (quod in aliis ſuccis tenuibus, & paucis facit) ubi hoc quoq; tenuius, & quantitate modicum fuerit, hoc ipſum diſcutere, atq; in halitum inſenſibilem extenuando digerere. Neq; rurſum neceſſarium eſt ut ſemper unico actu efferueſcens ebulliensq; integre ſeparetur, cum quod natura in aliis motibus facit, ut non ſemper uno actu integre, & abſolute moueat, ſed partitis vicibus excernat, ſoleat etiam in hoc coinquinamento ſanguinis moliri, quod modo unica uice, modo pluribus motibus, modo conexe & coniunctim, modo per interpoſita interualla ſeparat, atq; ſecernit. nulli ergo ſit mirum ſi comperiantur qui bis, & ter: & rurſum ſi inueniantur qui nunquam uariolis laborarunt. Succedunt alia duo argumenta: quorum alterum, prius ſcilicet ad alia ſanguinea alia omnia pertinebat, de quibus dicebatur futurum, ut illa quoq; uariolis corripiantur. Ad quod reſpondentes dicimus, uarias vitæ ſortes, & uarias habitudines corporum, facere ut hinc quidem humanum genus patiatur uariolas: hinc uero bruta minime patiantur. Primum enim bruta animalia ſtatim in lucem edita

Quartum & quintum arg. ſoluitur.

Argum. 6. diſſoluitur.

F ſere

ſere ambulant, laborant, & corpora exercent: adeout posſint in ea tenella ætate facile per halitum digerere atq; abſumere illud coinquinamentum priuſquam per ebullitionem migret in uariolas. ſecundo eadem bruta fortaſſe non fruuntur ea copia menſtrui ſanguinis in utero, qua abundant homines: unde non habent copiam, quæ illis ſuperflua, & nocitura ſit. Tertio habent cutem prædenſam & præduram, ac proinde affectibus cutaneis gignendis minus idoneam. homines contra, & mẽſes multos trahunt faſciis obuoluti ac ferè immobiles & ignaui: & abundantiam maximam retinent ſanguinis menſtrui in utero: cutem habent omnium aliarum mollisſimam, & recipiendis his expulſionibus peridoneam. Ad poſtremum argumentum primum dicimus, non eſſe parem rationem morbillorum & aliarum ægritudinum: itaut ſi infans in utero patitur alia uitia, debeat etiam aliquando pati uariolas. Secundo dicimus: iam compertum eſſe infantem ortum cum uariolis, & alium ſtatim editum, variolis correptum fuiſſe. Fidem utriuſq; euentus habemus prioris quidem ab ipſo Fernelio, qui ſcribit ſępe deprehenſum eſſe prægnantes, maturos partus edidiſſe has lue perſuſos. Secundi uero à Montuo, qui teſtatur nuperrime à locellis egreſsã ex nobilisſima matre puellam poſt tres aut quattuor dies ab ortu ſuo, morbillis primum, mox uariolis correptam. Hactenus ſatisfecimus iis rationibus, quibus Ferneliani probare conabantur fieri nullo pacto poſſe ut uariolarum materia ſanguinis menſtrui inquinamentum ſit: & propterea hinc patet uia ſuſtinendi Arabum ſententiam ea in parte, in qua cenſent aliquando uariolas & morbillos: ſeu nonnullos uariolas, & morbil-

Poſtremum ſoluitur argumentis.

Fernelius lib. 2. de abd. rerum cauſ. c. 12. Montuus lib. 7. de Feb. cap. 2.

norbillos ex menſtrui ſanguinis uitiis generari. Nunc ad eos recentiores ſermonem conuertamus, qui exiſtimant eſſe uariolas, & morbillos affectionem nouam: & ab ea die, qua cæpit, factam eſſe propter ſemina parentum omnibus hominibus naturalem. quod enim ad Petronium attinet, ut nihil aut parum admodum in eius opinione comperio, quo ille à priori diſſentiat. Siue enim hæc ſuperfluitas, quę facit uariolas ſit putrida dicenda: ſiue uitioſa: ego quod ad me attinet parum intereſſe puto: qui uideo etiam poſſe rationibus, quibus illa defenditur, hanc quoq; aptiſſime ſuſtineri. quocirca, ut dixi, iam propoſitam opinionem conſideremus.

Alterius Larm. Recentioris opinio propoſita expenditur. Cap. X.

CVm hæc clariſſimi huius Viri ſententia ſupponat uariolas, & morbillos nouam affectionem eſse, & poſt Galeni tempora proditam: oſtenſum autem fuerit nobis hanc affectionem ab Arabum interpretibus variolarum, morbillorumq; nomine ſignificatam, eſſe ita uetuſtam, ut Hippocrati omnium antiquiſſimo ſcriptori probe cognita fuerit: iam ſponte ſua unuſquisq; eam parum decentem, parumq; ueritati conſentaneam confiteri poterit. Auget ſententiæ ſuſpitionem, quod dicitur illam ſtatim fuiſſe per uniuerſum terrarum orbem euulgatam, & propterea infecta fuiſſe humanæ ſobolis ſemina: Nam quis nam uel Hiſtoriographus, uel Medicus hanc mali originem adeo publicam, adeo euulgatam unquam deſcripſit? Quod nam ueterum, recentiorumue teſtimoniũ de hoc mali ortu ad nos peruenit? Quæ ſcripta

nobis fidem fecerunt de tanti mali generatione, atq; primordiis? Sed et tertio minus fidei præſtare debemus huic opinioni, propterea quod ſi hæc ægritudo propter ſeminis uitium facta eſt humano generi familiaris, cur illam præterfugiunt, deuitantq; multi? cur facta non eſt omnibus neceſſaria? At nemo audet uariolas, & morbillos appellare humano generi naturales: ſed alii dixerunt, eos eſſe ferè naturalem affectionem: alii dixerunt à per paucis illos deuitari. nemo unquam auſus eſt ſcribere ſimpliciter eſſe ægritudinem naturalem. Nũc tamen omnis exigeret necesſitas ut morbilli, & variolæ eſſent ſingulis ingeniti & neceſſario aduenientes, ac ineuitabiles. Et ratio eſt, quoniam, quæ in ſeminibus principia malorum ſunt, propagatione ſobolis in infinitum omnes præhendere ſolent: niſi aliquid impediat. Vt de fæminis obſeruatum eſt: quas, & ſi à genitoribus arthriticis ortas, arthritide tamen corripi non conſueuiſſe, quoad menſtrua illis fluxerunt, experientia demonſtrauit. Si ergo omnes prę̨hendant iam quidpiam faciunt, quod à uariolis fieri non cernitur, atq; ſi forte fæminæ illos deuitare poſſunt, iam etiam id præſtant, quod non præſtant variolæ, & morbilli noſtri: non ergo à ſemine in nobis fieri poſſunt. Dura igitur hæc ſententia eſt, neq; tam facile imitanda.

Soluuntur Argumenta illorum, qui ſcribunt Variolas & Morbillos ſemper gigni ex maligno Cœli ſtatu. Cap. XI.

VAriolas, & morbillos ex maligno Cę̨li ſtatu ſemper gigni ſcriptum eſt à viris emunctæ naris, & claſſicis: eamq; ſententiam illi mordicus tuentur. quam uero apte, uidebimus, ſi quamprimum

mum intelligamus quantum momenti habeant ra tiones, quibus hanc opinionem inſtruunt, & robo rãt. Quocirca ad priorem quod attinet, cum quod fiant variolæ, & morbilli indiſcriminatim, quibuſ cunque temporibus, & conſtitutionibus temporũ, argumentantur habere cauſſam abditam, & occul tam, totamq; illorum materiam eſſe ſemper mali gnam; ineptum videtur, nam primum apparet va riolas magis his quam illis temporibus diuagari : mox autem quod vnicus effectus, & à frigore, & à calore, & à ſiccitate, & ab humiditate ſeorſum fiat, neque nouum, neque mirandum eſt: cauſſæ enim variç, varia ratione agentes: immo eædem etiam cauſſæ ſub varia actionum ratione, varios, atq; diuerſos effectus: & eundem ſæpe etiam effectũ pro ducere ſolent: quod quoniam artificibus ſatis eſt perſuaſum non tentabo vlterius demonſtrare. Sic hyeme æqualiter, & æſtate: autumno, & vere gignũtur dyſenteriæ, pleuritides, lippotimiç, anginæ: quamquam enim cauſſæ variæ & contrariæ ſunt: conſpirant illç tamen in eũdem ſçpe effectum, pro vario modo actionum, & pro uaria corporum diſpoſitione: quare ſi bene conſideres quæ in Epidemijs ab Hippocrate deſcribuntur, ſæpe comperies eundem effectum à diuerſis cauſſis: eaſdem ægritudines ab aduerſis pugnantibusq; mutuo principijs profectas eſſe. Eiuſdem infirmitatis ſecunda quoque ratio mihi videtur: neque enim quod variolæ, & morbilli multigena, ſæuæq; accidentia habeant, cogit conſtituere effectricem cauſſam illorum, ſeu materiam ex qua illi fiunt in abdito, & maligno: quandoquidem propter hanc eandem rationem expediret idem ſtatuere de quocunq; exquiſitarum febrium tertianarum genere, in quibus ma

Argumenta Fernelij ſoluuntur. & primum ſoluitur primum.

Secundi Argumenti ſolutio.

gna,

gna, & ſæua, & multigena apparent accidentia: deliria, cardialgiæ, vomitiones, alui deiectiones, ſitis, vigiliç, capitis dolores, & alia plura, ſimiliter & acutorum genus aliud quodq; cum varia ſemper, & multigena, & ſæua habeat ſymptomata ad abditam & malignam cauſſam effectricem pertineret, quod tamen nemo affirmabit, niſi forte pertinaciter proteruiat. Adde quod non ſemper accidentia variolarum malignitatem ſapiunt; ſed illorum tantum, qui verè maligni ſunt; & malignũ cęli ſtatũ, aut malignam humorum colluuiem cõſecuntur, vti ſuo loco dicam. Tertium ſuccedit argumentum, quod ex vrinis, quas narrat parum vel nihil mutari à ſuo ſtatu naturali deſumptum eſt: cui primum dicimus falſum eſſe in variolis vrinas non mutari à ſtatu naturali, nam & redduntur craſſæ, & ſæpe turbatæ, & rubræ, & crudæ, & omnino inducunt conditiones diuerſas à conditionibus naturalibus. Quod ſi in aliquibus exigua mutatio obſeruatur: id euenit fortaſſe quia materia magis decumbit ad alias partes, & magis afficit alias corporis regiones, quam uias urinæ. De quarta ratione Fernelianorum quid attinet dicere? Ergo quod uariolę ęqualiter totius corporis, & partium illius cutem prehendant, facit ut affirmandũ ſit, illos à maligna abditaq; materia generari? An forte hoc malignarum affectionum proprium eſt? An forte id peſtilentiæ contingit tanquam patognomonicum ſignum? An forte quidquid malignorum morborum ſapit naturam, id totum illico ad cutem quancunq; refferetur? ſpecioſe ſanè Fernelius has ſuas rationes affert: Sed non tam ſpecioſæ deinde illæ reputari poſſunt. Sic &, quinta ratio numerum auget, uim & momentum infirmat & frãgit:

Ad Tertium. reſponſio.

Ad Quartum ſolutio.

Ad Quintum ſolutio

git: iam enim in iis, quæ ad primum argumentum attulimus huius quoq; quinti argumenti idonea, atq; lucida apparere ſolutio poteſt. quamobrem ad ſextum quod pertinet, mihi uidetur inepta con ſideratio illa, qua ex anhelitus difficultate, ex iis quæ in facie apparent, ex deglutitionis anguſtia, ex affectione deniq; partium ęqualiter externarum, & internarum concludunt ab aere inſpirato hæc mala ſemper oriri: nam hanc ſententiam conuincunt cum peticulares febres, quæ ſparſim per annum uagantur, quæ bonam partem horum accidentium habent: tum ipſimet uariolæ, & morbilli, qui, & ſi frequenter per modum epidemicæ graſſantur frequentiſſime tamen ſparſim quoq; inuadunt. cum autem ſparſim frequentes afficiant, nō poſſunt refferri in cauſſam publicam & Epidemicam, qualis eſt aer. Poſtremum argumentū continet morbi deformitatem, quam ſicut uolentes concedimus maximam, & effatu dignam: ſic uolentes negamus etiam in unicam materiam malignam eſſe refferendam: argumentum ſint faciei eriſipellata, quæ in tantam deformitatem ſæpe hominum faciem redigunt, ut affectorum aſpectus cognoſci minime poſſit: nemo tamen dicet eriſipellata illa eſſe ſemper maligna: & à materia maligna, nenenata, & occulta eſſe progenita. Quamobrem cum Fernelii argumenta ſingula nihil ponderis habeant, iam nobis liberam facultatem relinquunt aliud de materia horum morborum decernendi. quod, quoniam determinare, iam opportunam eſt, breuiter nouo ueluti facto principio explicare aggrediamur.

Ad Sextum reſponſio.

Ad ſeptimum et. ult.

De

De Variolarum, Morbillorumq; effectrice cauſa Verior ſententia. Et de Proxima eorum materia.

Cap. XII.

VEriorem de cauſſa effectrice, ſeu de materia, ex qua fiunt variolæ, & morbilli ſententiam hanc eſse putamus. Illos nimirum produci à materia modo meſtruali: modo non menſtruali: modo maligna: modo benigna. Vtrunq; probare non uidetur difficile: Nam fieri primum ex materia menſtruali aliquos uariolas, & morbillos, conuincit cũ ratione ſcriptorum auctoritas. Ratio quidem quoniam quod infans ex utero matris exeat uariolis correptus, abſq; eo quod ipſa mater tale quidpiã tunc temporis patiatur, ſatis uidetur docere, uitiũ eſſe in eo, quo iam proxime nutritus eſt fætus: quod ſane non aliud fuit quam ſanguis menſtruus. Similiter quod hanc ægritudinem fere omnes uiri æqualiter & fæminæ patiantur, & ut plurimum in pueritia: uidetur etiam perſuadere illam à materia aliqua fieri, quę cum nobis oriatur; quæ nobiſcum genita fuerit: quod nemo aptius alterius quàm antedicti generis eſſe dixerit. deniq; hanc partem (uti ſupra dictum eſt) probant rationes ſingulæ, quas ſupra adduximus: Auctoritates pariter Auicennæ, Raſis Ishac Israelitę Auenzoaris Auerrois ſatis euidenter hanc ipsã ueritatẽ exponunt: vt non ſit opus illas rurſum tranſcribere. Cæterum quod præter materiam menſtrualem, interdum uariolæ fiant ex alia materia probari ſimiliter poterit cum ratione, tum auctoritate. Ratione quidem quoniam rationi eſt conſentaneum, quod quemadmodum & carbunculi; & peticulæ: & puſtularum genera uaria in nobis fiunt ex praua

uiuendi

viuendi ratione, ſic variolæ, quoq; ex eadem cauſſa generari poſſint. ſecundo quia compertum eſt ali quos, qui in infantia paſſi fuerant variolas, & morbillos ex ſanguine menſtruo, neque enim ex alia materia eos tunc contraxiſſe ſuſpicari quis poſſit: in conſiſtenti deinde etiam ætate variolis ſimiliter, atque morbillis correptos fuiſſe: at hæc ſecunda variolarum eruptio non aliam habere potuit materiam, quam ſuccorum prauitatem ex mala viuẽ di ratione congeſtam. Auctoritate vero, propterea
„ quod Auicenna clare hæc ſcribit. Aut generatur
„ in ea poſt illud ex cibis fæculentis & malis, de illis, *Auic. 1. 4. tra. 4. c. 6. in principio.*
„ quæ rarificant ſubſtantiam eius & faciunt eam e-
„ bullire, donec fiat ei ſubſtantia recta. Hoc idem confirmant Raſes: Nicolaus Florentinus: Halyabas alijq; Arabes, Arabumq; ſectatores: quo fit vt affirmari iure optimo & debeat, & poſſit materiam effectricem variolarum eſſe in quibuſdam inquinamenta ſanguinis menſtrui: ac proinde quidquid vitioſi &, vt Petronius dicebat, putridi & mali in fætus alimento ſuperabundabat: in alijs vero, prauos humores genitos ex vitioſa viuendi ratione. *Raſis 18. continentis. Nicol. Flor. Tr. proprio. Halyabas 8. Thc. cap. 14.*

Neq; huc neceſſario ſpectare malignitatem aliquã credimus, qui ſimpliciter gigni poſſe variolas, & morbillos ex antedicta materia manifeſta & euidẽ ti putamus. Sed propter hanc cauſſam in nonnullis variolis, & morbillis cẽſemus poſſe reperiri malignitatem & virulentiam, at proinde cauſſam aliquam abditam & cęcam. Quod & ratione quoq;, atque auctoritate poſſumus confirmare. Nam ad rationem quod attinet parem eſſe rationem credimus variolarum, atque reliquarum affectionum, quæ præter naturæ modum corpora noſtra detinent: vt quemadmodum illæ non ſemper benignio

ri ex materia in nobis fiunt: non ſemper ex manifeſta cauſſa materiali producuntur: ſed interdum quid occulti obtinent, & maligni permiſtum: ſic variolæ & morbilli interdum ſibi comitem habeant quidpiam veneficum, occultum, atque malignum. ſic Epilepſiæ: lippitudines: febres, & aliæ inumeræ ęgritudines, quæ vt plurimum ſine malignitate in nobis gignuntur, aliquando ſibi ſociam faciunt malignitatem, latentemq; qualitatem, propter quam & deteriores & curatu contumaciores euadunt.

Hanc quoque veritatem auctoritas pariter confirmat Arabum nam Auicennæ ea oratio eſt. Et de hoc eſt cuius cauſſa eſt res adueniens, & extrinſecus bullire faciens, occulta, quę permiſcet humores cum ſanguine. Sic Halyabas ex aere peſtilenti excitari variolas ſcribit: quanquam Halyabas, quē admodum magna pars Arabum reliquorum aerē peſtilentem malam dietam aliasq; cauſſas omnes, quas recenſet, afferat non tanquam generātes prauos humores à quibus multiplicari, & generari materia variolarum & morbillorum poſſit: ſed tanquā illas quæ moueant eam cauſſam quam ſolam, & vnicam putant eſſe materiam variolarum, & morbillorum, ſanguinem ſcilicet menſtruum conſeruatum in corpore humano ab hora fætationis; Vtcunque tamen ſit, patet illum quoque, & cum eo deinde Raſem, & reliquos ſtatuere variolas, & morbillos nonnullos retinere in materiali cauſſa malignitatem, cęcamq; aliquam qualitatem. Quamobrem ſi quis tandem cupiat quæ ſit materia variolarum, morbillorumq; in genere audire: hic non procul aberit quin intelligat hanc modo nobiſcum naſci: modo in nobis nouiter generari Priorem eſſe ſanguinem menſtruum ſuperfluum, & vitioſum in

Auic. loco citato.

,, ,, ,,

Halyabas loc. ci.

fætu

fœtus corpore aſſeruatum. Secundam eſſe ſuccos prauos ex mala victus ratione vel genitos, vel permotos, proportione menſtruo ſanguini reſpondentes. Preterea verò vtramq; materiam modo eſſe expertem malignitatis, & qualitatis occultæ: modo huic malignitati, occultęq; cauſſæ eſſe coniunctā. & hanc malignitatem, occultamq; cauſſam modo in nobis ex peſſima vitę ratione gigni: modo ex aere, & vaporibus inſpiratis in noſtrum corpus comportari: itaut ipſis etiam variolis, & morbillis, qui in infantibus, & pueris ex materia menſtruali fiunt, poſſit coniungi malignitas ſi non alia ratione, ſaltē propter aeris maligni, malignorumq; vaporum ac halituum inſpirationem. Atque in genere quidem hæc cauſſa efficiens, ſeu materia, ex qua variolæ, morbilliq; fiunt ſatis aptæ videtur expoſita. Verum quoniam medici vlterius ac ſtudioſius ſolliciti ſunt de qualitatibus, & differentijs magis propinquis, & magis ex vſu artis, eiuſdem cauſſæ: præſtat adhuc declarare, ſitne hæc materia bilioſa, an ſanguinea, an melancholica, an pituitoſa: an ſeroſa, an humoroſa: hęc enim conſideratio magis videtur vtilis, & ad artificis opus pertinere. Hanc rem explicans Auicenna dicebat materiam effectricem variolarum, & morbillorum eſſe ſanguinem bullientem, hoc tamen diſcrimine, quod materia ex qua fiunt morbilli magis bilioſum reſſert: materia vero ex qua fiunt variolæ ſolum ſincerumq; magis ſapit ſanguinem. Huius quoque veritatis teſtimonium diſertiſſimum attulit Halyabas, qui vt variolas ex reliquo ſanguine: ſic morbillos ex ſanguine ſubtiliori, & calidiori generari perſcripſit: neq; ab ea ſententia abfuerunt Iſahac Iſraelita, Raſes, Auerroes, Auenzoar: qui omnes in hoc conſpirant, ma-

De proxima materia variolarū & morbillorum.

Auic. 1.4.tra.4. cap.6.& cap. 8.

Halyabas loc.ci.

Iſahac. Reſis. Auerro. Auēzoar.

 teriam

teriam hanc ſiue ſit menſtrualis, ſiue ſit in nobis ex praua viuēdi ratione genita, eſſe ſanguineam, ab ea ipſa tamen differentem, quod morbillis illa inſit biliosa magis, variolis reliquis ſanguinis magis particeps: Quæ omnia vt melius intelligantur, illud à nobis accipiendū eſt ſanguinis appellatione à Græcis pariter, & ab Arabibus modo audiri maſſam sāguineam: modo aliquem ex ſuccis alimentalibus. Sic alibi à Galeno ſcriptum eſt fieri tumores modo ab alijs, modo à ſanguineo ſucco, ſanguineumque ſuccum modo eſſe biliosum, modo pituitosū, modo melancholicum; hoc eſt (vt ille ait) modo calidum, & tenuis ſubſtantię; modo frigidum, & craſſæ ſubſtantię. Et in alio loco clarius dicebat inflammationem fieri modo à ſanguine; modo à tali ſanguine: Et Rurſum alibi, plenitudinis aliā eſſe in æquali redundantia humorum omnium: aliam eſſe cum aliquo addito, quemadmodum nos libello noſtro de plenitudine diximus. Hoc ergo ſuppoſito, cum dicimus variolas, & morbillos fieri ex sāguine bullientè, ſanguinem accipimus quacunque ratione diximus à ſcriptoribus illis vſurpari: Ita ut modo ille accipiatur pro ſanguine vniuerſam maſſam humorum continentė: modo pro ſanguine calido, & tenuium partium: modo pro ſanguine frigido, & craſſo: Quinimo vlterius credimus poſſe fieri përmiſtionem cuiusq; differentiæ ſanguinis, & ſic conſtrui variam, & ętherogeneam variolarum morbillorumq; materiam: Ita tamen vt ad morbillos gignendos tenuior, ad variolas producendos craſſior ſemper ſanguis requiratur; dico autem craſſiorem non ſimpliciter, & abſolute; ſed in reſpectu illius, qui morbillorum generationem ſuppeditat; namq; fieri etiam poſſe variolas à ſanguine nō ad-

Hip. lib. de Nat. Hum.

Gal. 2 de diffcr. feb. c 9 & lib. 2. de criſib c. 12.

Auic 1. primi. c. de humoribus.

Gal lib. de inęqualı in temp. c. vlt.

Gal. li. de tumoribus præter naturam.

Gal. li. de plenitudine.

modum craſſo: & craſſiori: & craſſiſſimo putamus: quemadmodum morbillos à tenui, ichoroſo: minuſq; ichoroſo: nam in hac humorum concurrentium varietate, varios eſſe gradus: variaſq; differētias cenſemus, quemadmodum experientia conſtat, conſtabitq; etiam; dum de ſignis, & de differētijs ſermonem habebimus. Sic Auicenna, Halyabas, Raſes, & alij materiam hanc variolarum variam: & rurſum morbillorum variam conſtituerunt: In illud tamen conſpirant, quod morbilli tenuem reſpectu variolarum: Variolæ craſſam reſpectu morbillorum ſemper materiam retineant. Quę ſi bene determinata ſunt, iam nos docēt quā vera ſit ſententia illorum, qui putant variolarum materiam eſſe ſemper ichorem, ſeu ſerum. Et quoniam hęc ſententia habet nonnullas rationes, quibus defendit ſeſe, præſtat illas audire ſingulas: & ſingillatim illarum quancumq; examinare.

Variolas, & Morbillos non ſemper fieri ab Ichoribus. Cap. XIII.

Prima ratio. Gal. li. 3. de ſympto. cauſſis. c. 2.

SEntentia iſta, Variolas, & Morbillos gigni tam quā ex materia ab Ichoribus hæc potiora habet argumenta: Primum Galeni auctoritatem, qua illum ſcribere notant tunc eſſe prouentum exanthematum, cum in humanis corporibus affluenter abbundant ichores cum autem Variolę, Morbilliq; ad exanthematum genus redigantur: iam patet illos quoq; ex materia ichoroſa fieri: ſecundo febres Synochę fiunt ab Ichoribus ſanguinis ebullientibus: in uariolis, & morbillis ſemper fit febris ſynoca: in variolis ergo & in morbillis ſemper ebullient ichores. Tertio in morbillis, & uariolis fit ex- *Secunda ratio.* *Tertia ratio.*

pulſio

pulſio materiæ ſerueſcentis ad cutem: Sed in expulſione huius materiæ deberent fieri horrores, & rigores etiam: at non fiunt: & non fiunt quia materiæ iſtæ, quæ expelluntur ſunt aqueę, & ichoroſæ, non adhæreates, non vellicantes: ſtat igitur uariolas, & morbillos ex ichoribus gigni. Poſtremo ſi exploretur materia, quæ à punctis, aut ulceratis uariolis exit, manifeſte illa ad ſenſum ichoroſa apparebit: ſi ergo ſenſus rectus eſt ſenſibilium iudex, fatendum eſt materiam, ex qua fiunt hæ puſtulæ, ichores eſſe, non aliam. Dura quoq; opinio hæc eſt, quæ rationem: auctoritatem: rerumq; euidentiã repugnantiſſimam habet, & inimicam: quæ male etiam ueterum teſtimonia adhibet. Nos propterea ad utilitatem candidatorum medicinæ illam examinemus: ne illius auctoris celebritas, illam facile iuuenibus perſuadeat. At ſane quod in priori argumento ex Galeno deſumptum eſt fideliter quidem accipitur: ſed non fideliter exponitur. Quandoquidem & ſi decumbentibus ſeroſitatibus ad externas noſtri corporis particulas, gigni ſoleant exanthemata, ſeu papulæ: atq; hoc clariſſime eo loco, Galenus ſcribat: nihilominus non hinc deduci poteſt uariolas & morbillos ex ichoribus ſemper generari: non enim omnes exanthematum ſpecies illico ex ichorum abundantia erumpunt ſed quæ tantum ex materia ichoroſa gigni aptæ ſunt, vt ſenſus uerborum Galeni ille ſit: Ac ſeroſa uocata excrementa cum redundant cum aſcites uocatus hydrops excipit, tum papularum in iis animalis partibus, in quas perducta ſuperflua ſunt, prouentus, papularũ, inquam, illarum, quæ ex huiuſmodi ichoribus gigni produciq; ſolent. recipies hanc interpretationem ſi in aliis exanthematibus nonnullis hoc ipſum

Quarta ratio.

Impugnatur hac opinio.

Gal. 3. de ſympt. cauſ. c. 2. non procul ab initio capitis.

Galeni locus exponitur & reſpõdetur priori argumento.

Tertia ratio.

expen

das: nam nonnullæ exanthematum ſunt ſpecies, quæ latæ ſunt,& minime prurientes: non nullę sũt acuminatæ,& prurituoſæ,quemadmodum ab Hippocrate,& à Galeno ſcriptum eſt: latas & non prurientes omnes in ignauam pituitam refferunt: acutas & prurituoſas in bilẽ; aut ſalſam tenuioremq; pituitam: neq; hic ſeroſas materias audire oportet, cum nullibi mentio fiat de ſero,aut ichore. Adde quod quę exanthemata à Galeno deſcribuntur libro illo methodi,factæ ſunt (quemadmodum ille notat) ex excremento cinereo, & combuſto ſuperſtite in illis febribus. at excrementum cinereum,& combuſtum nemo apte ichorem dicet, uel ſerum cum ergo neq; omnes puſtulę ſemper ex ichoribus fiant: neque ichores ſemper faciant exanthemata, patet Gal. ſententiam pati exceptionem. Sed & tertio Arabum unuſquiſq; ab hac ſententia deſciuit. Cum illorum quilibet uarias uariolarum, & morbillorum differentias propter uarietatem etiã humorum & ſuccorum faciat, nulla de Ichoribus mentione habita. Et profecto Variolæ, & Morbilli,& ſi maxima ex parte in humores ſeu ſuccos refferre præſtat uarios quidem pro uarietate corporis redundantiæ, unde forte non errabimus aliquam etiam portionem ſeri illis admiſtam confiteri: ſic unicos ichores ſtatuere materiam ex qua fiant,neque tutum,neque ueteribus conſentaneum uidetur. Sed uideamus quid in ſecundo argumento aſſumptum ſit. Febres Synochas putridas ab Ichoribus putreſcentibus, aut efferueſcentibus generari. Et præterea Variolarum febres Synochas eſſe omnes. Equidem ad primam hanc partem quod attinet & ſi uideo illam afferri à uariis ſcriptoribus,cẽſeo, ipſam tamen à Galeni & à magna,bonaq; parte

Hip.& Gal.lib.6 aph.1.c.9.& alibi.

Gal.li.5.metho. c.xii.

Ad ſecundam rationem reſponſio.

te optimorum medicorum eſſe multopere abhorrentem, nam Galenus ubicunq; de Synocha putrida uerba facit, primum in genere quācunq; febrē Synocham dicit, quæ continenter, conexe, ſine paroxiſmorum intercapide, inæqualitateq; affligit: at hoc genus febrium refferre in ſolos ichores putreſcentes, adeo indecens, & illegitimum eſt, ut uix credi poſſit aliquem hoc ſomniaſſe. Itaq; ſi in genere ſynocham febrem accipias, non minus eam, quę ex ichoribus in magnis uenis putreſcentibus, aut efferueſcentibus exoritur, quam eam, quæ ex ſanguine, aut ex bile iiſdem in uaſis à naturali ſtatu recedentibus propignuntur, accipies. Quod ſi ſeorſum ad Synocharum febrium differentias ſermonem mentemq; intendas, & particulariter exiſtimes uariolarum & morbillorum febres eſſe ſanguineas, hocq; interpreteris ex ſanguinis ichoribus, quod iam uideo ab huius ſententiæ auctore peractum, qui ſynocham etiam extra uariolas, & morbillos dicit ab ichoribus excitari: iā facies id quod omnes probati medici, quod Galenus abhorrent: Legatur enim Gal. quo loco de Synocha ex ſanguine, ſeu de febre ſanguinis loquitur, inuenietur illum nihil minus cauſſam illius facere quam ichores. clariſſime autem illum ſtatuere ſuccum ipſum ſanguineum, ipſumq; met ſanguinem, uel pro ſucco ſincero, uel pro maſſa ſanguinis acceptum facere huiuſce ſynochæ febris cauſſam. Signum huius Galenicæ ſententiæ ſi exquiras illud inuenies: affirmare Galenum ſanguinem ubi putredine interit, ſecundum tenuiores partes in bilem, ſecundum craſſiores in atram melancholiam migrare: dum autem eſt in hac corruptione, in hac metaſtaſi, generare ſynocham uocatam febrem. Fieri ne ergo

Gal. li. 2. de diff. febrium cap.

Gal. lib. 2. de differ. feb. c. 9. & li. 9. meth. c. 4.

Gal. li. citato c. cit. & lib. illo de criſibus.

poteſt

poteſt (ita enim hos ſcriptores interrogare libet) vt hæc de ſeroſitatibus loquatur Galenus? Vel potius clariſſimum forte non eſt ſermonem illi eſſe de ſanguine ipſo? quod ergo ad hanc priorem partem attinet certe non facile recipio quod in ea video affirmari: neque vt alij id recipiant vnquam hortarer. Secundam autem huius argumenti partem, vtpote minus à vero diſſentaneam in præſentia non expendam, qui alibi inferius demonſtraturus ſum febrem quæ variolis coniungitur maxima ex parte eſſe ſynochum. Videamus potius, quid tertio in argumento fuerit acceptam. Non fieri in variolarum & morbillorum apparitioner rigores, & horrores, quos alioquin fieri oporteret in ea expulſione , propterea quod illorum materia ichor eſt non humor. Ichor autem minimum retinet acrimoniæ, ac mordacitatis, à qua rigor fieri ſolet. Equidem ſcio à Galeno aliquando ſcriptum eſſe, fluxiones, quę quidem ſinceram bilem habeant cutē exulcerare: quæ vero aquoſas ſanies, aut ſanguinē mixtum retinent, eas tum minus acres eſſe, tū partes in minorem tumorem attollere quam vt vlcerent. Veruntamen video etiam ſatis clare ſcriptum tenue quodam ſerum ſi in os ventriculi à venis decumbat facere cardialgiam. & à Platone traditum, ſerum atrę bilis ſerum eſſe, & imite: & à Galeno ſerum vnunquodq; proprij humoris cuius ſerum fuerit naturam ſapere, & propterea ſanguinis ſerum eſſe mite. minus mite ſerum bilis: ſerum vero melancholiæ. aqueum prorſus illud, quod in pituita eſt: ſicq; vnicuiq; humori ſuum datum eſſe ſerum : non diſſimili ratione atque in lacte, in quo ſeroſa quædam humiditas craſſiorem lactis partem veluti percolatio circunfluit. ex quibus facile

Ad tertiam rationem.

Gal. lib. de Tumor. præternaturam cap. 9.

Lib. 1. de humor. t. c. 1.

Plato in Timeo.

Gal. 2. in 6. de morb. vulga. t. c. 37.

Gal. loco mox citato.

cile colligas non propter eam cauſſam rigorem iñ variolis non excitari, quod fiant à ſeroſitatibus, quæ acrimoniæ cuiusq; expertes ſint cum non om nes ſeroſitates acrimonia careant: ſed ab alia cauſ ſa, de qua ſuo loco dicam. Verum forte dicet aliquis huius ſententiæ patrocinator, fieri variolas à ſeroſitate ſanguinis, quæ omnium eſt mitiſſima, & cuiuſq; acrimoniæ expers. Sane hoc primum ſine errore dici non poteſt: poſteaquam variolæ potiſſimum modo colorem habent rubrum: modo pallidum: modo viridem: modo flauum: modo liuidum: modo atrum: quæ quidem colorum varietas (ſi Gal. credimus) proxime humoris redundantis naturam ſignificare ſolet: ac proinde ſatis docere, non ex eodem ſemper ichore, aut humore variolas generari. ſecundo vero ſtatim quęrendi occaſionem præbebit, fiant ne variolæ & morbilli ab illis ichoribus putreſcentibus, vel ſtatum naturalem ſeruantibus: Equidem ſcio mihi reſponderi non poſſe, fieri variolas ab ichoribus illis ſuum ſtatum naturalem ſeruantibus, id enim nemo vnquã dixit: & huic contrarium ſententiæ huius auctor profitetur. quin neque id etiam rei natura permittit vt dicatur. fiunt enim ab illis ſeroſitatibus ebullientibus, & ferueſcentibus, vti ab omnibus ſcriptoribus & nouiſſime ab hoc ipſo ſcriptore ſtatutum eſt Si ergo illis ſeroſitatibus additur efferueſcentia, & ebullitio, vt aliqua pariter acrimonia illis addatur neceſſe eſt: quocirca ſi aliquam illis coniungi acrimoniã affirmamus, quomodo deinde tuebimur tanquam apte allatam cauſſam huius ſcriptoris, dum vacuitatem rigoris, in vacuitatem acrimoniæ redigit? Addi verò acrimoniam ichoribus per efferueſcentiam, & ebullitionẽ tibi ſit argumẽtum

Dubitatio.

Solutio.

Gal. li. de tumo. praeternat. c. 1.

tum & mitiſſimus illi pituitæ ichor, qui etſi ſuapte natura cuiuſque acrimoniæ expers, per efferueſcẽtiam tamen & ebullitionem acrimoniam, & ſalſedinem aliquam adipiſcitur. & Galeni teſtimoniũ, quo ille ſcribit ichores illos, qui ſub cute detinebantur, propter ferueſcentiam & putredinem virulentos, acres, & exulcerantes, ac malignos redditos eſſe. quambrem iam etiam concludere nõ pigeat materiam variolarum non eſſe vnicam ſeroſitatem, qualem ſcriptor iſte ſupponit; ſuamq; propterea rationem tertio loco allatam, aliarum ritu exigui, immo prorſus nullius eſſe momenti. Poſtremum ſuccedit argumentum ex rerum euidentia deſumptum: quod profecto ſi in omnibus variolarum differentiis verum eſt, vltro erit à nobis ſuſcipiendum: ſi etiam ſenſibus, & ſenſatę cognitioni aduerſetur, vtique & bene nobis actum erit ſi ab illo recedemus: Equidem neminem futurũ exiſtimo, qui in artis operibus exercitatus ſit, qui non animaduerterit, ſæpe variolas punctos nihil emiſiſſe: ſæpe reddidiſſe ſaniem ichoroſam, & dilutam: ſæpe etiam materiam craſſiorem: vt certo affirmari non poſſit quæ, qualisq; fuerit in variolis materia ſemper eadem: vt propter hanc cauſſam, aliquibus variolæ ſicci fuerint, aliquibus manantes. & manãtium alii ſeroſam, & aqueam: alii paulo craſſiorem: alii etiam craſſam magis emiſerint: quæ ſi hac ratione ſe habere ſenſus ipſe diiudicauit & comperit, faciunt ut non tam expedite affirmare debeamus uariolarum genus quodq; à ſola ſeroſa materia, & à ſincero ichore proficiſci.

Gal. 2. in 6. Epidem. t. c. 37.

Ad quartum.

Epilogus eorum, quæ hactenus de Materia, ex qua fiunt Variolæ, & Morbilli dicta ſunt. Cap. X I V.

MATERIAM, ex qua fiunt uariolæ, & morbilli ſtatuimus modo ſanguinis menſtrui inquinamenta in fætu ſeruata: modo prauos ſuccos in corporibus propter malam uiuendi rationem cõgeſtos: & rurſus modo participem malignitatis: modo malignitatis cuiuſq; expertem. quęcunque tamen illa fuerit, eam credimus redigi debere ad noſtri corporis ſuccum aliquem, modo ſincerum, modo ichoroſę materiæ admiſtum: & rurſum modo unicum unico ſero: modo multiplicem multiplici quoque ſero coniunctum. ſemper tamẽ morbillos materiam tenuiorẽ uariolis habere, quibus ſic determinatis, iam ad cauſſam ſubiectiuam explicandam ueniendum eſt, quod facere ſtatim aggredior.

De Materia ſubiecta, cui Variolæ, morbilliq; inhęrent. Cap. X V.

CVM Variolæ, & Morbilli cuti inhęreant tanquam ſubiecto proprio, ſunt enim, omnibus conſentientibus, cutaneæ affectiones, & ipſi; Iure ſtatutum eſt ſubiectam materiam uariolarum eſſe cutem ipſam. Sed cutis tres habere uidetur regiones: Priorem, quæ extima eſt & omnium maxime expoſita, quam ἐπιδερμίδα Græci dicunt, nos iuſta cutem, ſeu cuticulam uocamus. Secundam, quæ profunda & interior eſt prorſus, quę potius ſtratum quodã & anexum eſt cutis, quarum quod cutis uocari debeat. Tertiã tandem, quæ inter has duas regiones extremas media intercedit, quæ à Gręcis vocatur δέρμα à nobis cutis. Cum igitur

hæ tres regiones cutis peribeantur, quæri ſolet ab ijs, qui recenter hac de re commentaria ediderũt; quæ nam, qualiſq; cutis regio ſubiecta materia ſit harum puſtularum. Quidam ex recentioribus hãc dubitationem ſecum animo reputans, ſcripſit cutem eſſe ſubiectam materiam variolarum, prout illa conſideratur ſecundo modo: ita ut accipiatur cutis tanquam illa, quæ non ſit nudum corium; ſed ſit connexa partib. adiacentibus, quas (inquit) variolis quoque ſimul tentari. Ratio huius ſentẽtiæ eſt, quoniam cutis accepta pro ſolo amictu cæterorum membrorum caret quacunq; operatione, cum animali, tam naturali; quemadmodum iſte ſcriptor docet: quæ autem pars caret quacunque operatione, ſed vſus tantum gratia data eſt, hęc non eſt capax morborum: cum ergo variolæ & morbilli, ac puſtularum genus quodq;, morborum nomina & idæam refferant, vt non ſint in cute accepta pro amictu ſolo, ſed pro cute coniuncta aliis partibus, omnis videtur neceſſitas perſuadere. Cęterum cutem acceptam pro amictu carere quacunq; operatione cum animali, tum naturali Galeni locus (ex huius ſcriptoris opinione) ſatis euidenter oſtendit: nam illius hæc ſunt verba, quæ breuitatis ſtudio latina tantum transferimus. *Gal. li. de Cauſ. morb. c. 6.*

„ Cum quattuor ſint numero potentiæ, quarũ quælibet ſiue animalis, ſiuæ plantæ particula particeps eſt: & cum vna quidem ex iis attrahat id, quod ei conuenit, alia autẽ retineat, alia alteret, alia quod ſuperfluit excernat: & cum materia ipſa ſuperflua duplex genere exiſtat, aut enim quantitatis ratione, aut qualitatis: cum deniq; omnium corporis partium non ęquali ſit robur, quippe principaliores partes ſtatim ab initio natura maiori robore

dona-

donauit, nihil mirum ſi in impuris corporibus, in quibus plurima materia redundat ad ignobiliores partes aliquid confluat. Nam ſuperfluus humor, vt qui à partibus omnibus robuſtioribus expellatur, ac nullibi conſiſtere queat, tandem ad imbecilliſſimam omnium peruenit partem; Hæc vero alia, atque alia in diuerſis corporibus exiſtit, aut quia in prima formatione eidem parti aliquis error obtigerit, aut poſtea aliquam ſuſceperit noxam, aut quia talis natura eſſe debeat, quemadmodum cutis, hęc enim (vt quæ nullam operationem habet, ſed vſus tantum gratia natura inſtituta eſt) optima ratione partibus aliis, quę aliquam habent operationem, imbecillior eſt facta. eſt enim quoddam veluti velamentum, atque amictus animalis cognatus, cum neque coctionem, neque alimenti digeſtionem, neque ſanguinis generationem, neque pulſum, neque reſpirationem, neque voluntarium motum neque omnino operationem aliquā afferat animali, ac præterea cum omnium aliarū partium extima ſit collocata non abſque ratione, totius corporis excipit excrementa. &c. Profecto hic locus & inſignis eſt, & perſpicuus ſatis: verum ea, quam clarus iſte profeſſor adducit, ratione expoſitus, ſit difficillimus, & obſcuriſſimus; neque enim docent hæc verba cutem ita carere quacunque operatione, vt cum naturalibus, tum animalibus functionibus deſtituta ſit: quandoquidem ſiue accipiatur nuda, tanquam amictus animalis: ſiue pro partibus etiam annexis, nunquam audiri poteſt tanquam cuiusq; operationis expers: cum illam ea ratione etiam acceptam & nutriri, & attrahere, & augeri, & expellere, & concoquere, & ſentire, certum exploratumq; ſit: quæ cum ſit pars vi-

uens

uens ſimul, & ſentiens, quoad in animali perſtat, quacunque ratione capiatur, non poteſt non habere antedictas functiones? Sed eum manifeſte ſenſum habent, vt doceant, cutem ipſam acceptā tanquam animalis totius tegumentum, non habere propriam aliquam operationem: non ſuppeditare ipſi animali functionem aliquam propriam: cum illa neque ſuppeditet animali coctionem publicam, ritu ventriculi: neque publicam pro illo moliatur alimenti diſtributionem: ritu meſeraicarum: neque ſanguinis generationem ritu iecinoris: neque motum voluntarium, ritu cerebri: neq; pulſum ritu arteriarum: neque tandem reſpirationem ritu pulmonum: atque omnino non præſtet animali aliquam aliam propriam functionem illarum aliarum partium in morem, quæ animali ipſi proprias largiri ſolent operationes. Atq; hunc verborum iſtorum ſenſum haud obſcure colligemus, ſi rationem, quamobrem Galenus eo ipſo loco cutem dicat vſus tantum gratia animalibus elargitatem, afferamus, nam reſpectu cuius tandē, & propter quam rationem Galenns affirmat cutem vſus ſolummodo gratia animalium in compoſitionem veniſſe? Equidem nunqam crediderim aliquem dicturum, affirmari à Galeno cutem vſus gratia tantum animalibus datam eſſe reſpectu illarum operationum, propter quas cutis cum omnibus alijs viuentibus particulis communionē habet, nutritionis, incrementi, attractionis, coctionis, expulſionis, detentioniſq; alimenti proprij: quandoquidem ad has operationes quod attinet, cum illæ cutis ſint quatenus viuit, ſi lædantur, ex læſa cutis conſtitutione:, ſcilicet vel labefactata; vel impedita cutis facultate, non poterit non affi-

ci

ci morbis; & non poterimus nos non concedere, cutem quatenus ad eum læſionis modum attinet morbis ſubijci: ſubiectumue fieri morbi. qui tandem (Galeno auctore) extra naturalis conſtitutionis læſionem inueniri non poteſt. Itaq; ad has operationes quod attinet neq; potuit Galenus docere cutem vſus tantum gratia datam animalibus fuiſſe: neq; poſſumus nos profiteri illam morbis non ſubijci; quando & Galeno notum fuerit eam non carere illis functionibus, quæ ad ſui cuſtodiam datæ ſunt: propter quas cum reliquis corporis particularis uitam aliquam participantibus communionem habet: & nobis iam innoteſcat ex illarum functionum læſione, ſi modo cum cutis conſtitutionis iactura illa fiat, morbos cuti contingere. Reſtat igitur vſum in cute à Galeno notari reſpectu totius animalis. ſiquidem ſi cutis cũ toto animali conferatur, comperietur illam ipſi non præbere aut propriam aliquam operationem partium ſupra commemoratarum in morem: aut quid ulterius habere cuius gratia morbos pati poſſit. Quocirca huius vſus cauſſa cutis dicetur morbis non ſubiici: cum morbus non vſuum, ſed actionum læſio definiatur. Dum igitur celeberrimus ille ſcriptor docet cutem acceptam pro amictu totius animalis nudo & ſolitario diſtingui à cute cõiuncta aliis particulis anexis: eaq; diſtinctione putat dubitationem propoſitam dirimere, non dum attingit id, quod in hac doctrina Galeni præcipuum eſt, non enim Galenus dum cutem accipit pro amictu, cutem audiri vult ab aliis particulis annexis diuiſam, atq; ſeiunctam: neq; rurſum dum cutem accipit pro cute aliis particulis annexa formalem cauſam germanamq; rationem proponit

Gal. lib. de diff. morb. c. 1. & 2. & lib. meth. & alibi.

Gal. loci ſup. citat. & alibi.

propter quam cutis ſubiici morbis dicatur. ſi quidem cutis vtcunq; conſideretur veluti amictus, nunquam (viuente animali) abſtrahi ſeiungiq; poteſt ab aliis ſibi annexis particulis: & rurſum cutis quatenus ſubiicitur morbis, non conſideratur reſpectu annexarum partium: ſed reſpectu illarum operationum, quas ad ſui cuſtodiam obtinuit. Sed quatenus habet illos vſus, de quibus nos alibi fuſe ſermonem fecimus, dum enim conſideratur quatenus eſt amictus animalis: quatenus eſt receptaculum omnium excrementorum: quatenus ad animalis pulchritudinem facit, morbos pati non poteſt: quatenus vero habet anteadeſcriptas functiones morbis detineri ſolet. Si quis ergo à nobis quærat quo nam pacto accipienda ſit cutis, dum illa uariolarum, & morbillorum ſubiectum conſtituitur: dicemus illam eſſe accipiendam quatenus prædita eſt illis functionibus, propter quas uiuere dicitur, & ſentire: & ratio eſt, quoniam ex illarum læſionibus fit, ut morbis illa ſubiici credatur: cum autem variolæ habeant intemperiem calidam, & humidam (vti dictum eſt) & propter hanc intemperiem labefactent facultatem coctricem cutis ſubiectæ, ad huius autem facultatis labem, actionis concoquentis iactura conſequatur, euenit neceſſario vt propter hanc maxime cauſſam, non propter partes cuti annexas, cutis morbis corripiatur; & propterea in uariolis illa hunc modum ſubeat, hancq; affectionis idæam retineat. Quocirca & ſi in uariolis unaquæq; regio cutanea afficiatur: quod ad cuticulam tamen attinet, cum illa quacunq; uita careat, huius intemperiei tanquam morbi cuiuspiam capax nō erit, quare uariolis, & morbillis non detinebitur tanquam morbo, ſed tan-

Lib. noſtro primo de Affect. ad Turpit. attinentib. cap. [illegible]

quam re pręter naturali, lata ratione accepta: Quod uero ad ſubiectas ſtrataſq; cuti particulas ſpectat, cum illæ neq; omnes, neq; ſemper hac lue corripiantur, non poſſunt ſtatui ſubiecta materia proxima varialum, morbillorumq́; . Tandem reliquum erit vt cutis proprie accepta, quę inter duas regiones media interiecta eſt germanum eſſe debeat ſubiectum cui hæc affectio morbillaris, & uariolosa inhæreat: hęc enim in hoc uitii genere actionum læſionem, cum conſtitutionis labefactatione pati & ſolet, & poteſt. Cæterum cum alibi oſtenſum ſit cutem non modo uocari eam magnã naſſam, quę uniuerſi corporis molem complectitur: verum etiam cum Platone illas alias paruas naſſas, quæ uiſcerum unumquodq; circumueſtiũt vſus, experientiaq; docuit, uariolas non magis illam, quam iſtas afficere: cum enim cadauerum, quorum obitus ex uariolis fuerat, anatomicis diſſectionibus patefacta uiſcera fuerint: compertum eſt, & pulmones, & inteſtina, & fauces, & Iecur, & veſicam, & diaphragma, & omnino vniuerſas illas internas regiones æquali clade, atq; externas fuiſſe à variolis depopulatas: quod neq; Arabas latuiſſe legimus, neq; à recentioribus fuiſſe prętermiſſum obſeruauimus. Sic dicebat Auicena non modo cutem externam, ſed etiam uelamina uiſcerum ſubiectam materiam eſſe uariolarum. Quã quam autem hæc uera ſunt, prætermitti tamen nõ poteſt has puſtulas in tres corporis regiones maiorem impetum, maxima ex parte obtinere: in faciẽ ſcilicet, & in manus, ac pedes: quę tres corporis regiones omnium aliarum maxime extimæ, & remotæ videntur. Cuius euentus cauſſam ſi quis inquirat, non tam promptam ab omnibus ſcriptoribus comperiet

Lib. noſtro cita.

Io. Fernelius: Ioannes Schenchius. & alij.

Auic. loco ſupra citato.

comperiet allatam. Credibile tamen eſt propter eas maxime cauſſas hoc contingere, & quia ad has regiones peruium maxime eſt iter, & quia ad eaſdem regiones magis quam ad alias natura prona eſt, & procliuis. Eſt quidem ad eas regiones per uium iter, quoniam arteriarum, uenarumq; ampliſſimarum, & poroſitatum laxitate, ductus omnes faciles, & obſequentes ſunt. Eſt uero natura ad eas regiones magis, quàm ad alias procliuis, quoniam ad eas partes promptius natura iniurioſa excrementa repelle ſolet, quæ magis procul ſitæ ſunt à corde, quales ſunt reſpectu reliquæ cutis, quæ in fecie, quæq; in pedibus, & manibus ſunt Adde quod ſi de facie ſermo ſit, ad eam, vt pote, in qua honor, & uerecundia manifeſtari ſolent, in qua ſenſus omnis ſedes apparet: quæ aeri, nuda, quocunque tempore exponitur quę indeſinenti fere motu muſculorum cietur, atque exagitatur multi, immo plurimi ſpiritus indeficienter confluunt, propter quos facile etiam humorum, atq; excrementorum genus quodque conuehi poteſt. Si uero de manibus, pedibuſq; habeatur oratio, cum hę quoque particulę motibus uniuerſi corporis obeundis perpetuo incumbāt fit ut natura facile ad eas excrementa quocunq; tempore deponat: vnde tempore huius criſis, quæ ad extima corporis habet impetum, nulli eſſe mirum debet, ſi ad utramq; cum manuum, tum pedum regionem copioſus ſit excrementorum affluxus.

Cur puſtula iſta magis in facie, & pedibus quam alibi appareant.

I 2 De

De Modo, quo fiunt Variolę, & Morbilli. Cap. XVI.

QVoniam Variolæ, & Morbilli fiunt quodam motu, & motus iſte (vt notant omnes ferè Arabes, omnesq; recentiores Latini,) per quendam modum criſis perficitur : criſis autem, vt paſſim omnium medicorum dogma pręcipit non modo in materia quadam eſt , quæ mouetur, atque expellitur, verumetiam à loco aliquo vnde mouetur diſcedit: ab agete etiam proprio obitur : per quędam ſpacia progreſſiones habet: certo quodā in tempore fit: & tandem varios motionis modos habere poteſt : vt quæcunq; ad harum puſtularum generationem attinent ſingillatim innoteſcant, non erit præter vtilitatem de his ſingulis verba facere , à quibus non exiguam etiam curationis partem quiſque colligere facile poſſit. Ad locum igitur quod attinet, ſeu à termino vnde hæc materia, quam ſupra diximus puſtulas iſtas generare, diſcedere ſolet, certum eſt illum non alium eſſe quam eum ipſum, in quo eiuſdem materiæ fit efferueſcentia, atq; ebullitio: ab ea enim minera, in qua efferueſcit, & bullit materia iſta, diſcedit excrementum illas puſtulas in cute excitaturum. quis nam igitur eſt hic locus? in qua nam corporis parte latitat hæc minera? quæ huius mali ſunt latebræ, atque ſcaturigines? Iſahac Iſraelita ſcribit loca remota à principalibus membris, cutiq; appropinquantibus eſſe minerę locū; in quo natura conſeruat hoc excrementum , quo ad vſque aliqua cauſſa vel interna, vel externa prouocet naturam ad illius expulſionem ad cutem quam habet vicinam. Auicenna hac de re nihil videtur prorſus ſcribere , qui ſilens præterit mineræ

De loco Mineræ humorum efferueſcentium.

Iſahac libro febrium c.5.

Auic. ſententia

ſeu

ſeu efferueſcentiæ locum. Eodem cum ſilētio præterſugit Auerroes & Auenzoar qui de loco, in quo ebulliant humores facturi variolas nihil ſcribunt: quemadmodum quoq; nihil ſcriptum eſt à Raſi, quanquam alia plura eodem in argumento ille cōgerat. Halyabas tamen non duxit rem hanc eſſe prætermittendam, ſed explicate docuit regionē, in qua fit hęc humorum efferueſcentia, atq; ebullitio, eſſe membra, & venas, in quibus duabus regionibus notat aſſeruari illud uitiatum excrementum, quòd à fętu hauſtum, aſſumptumq; eſt in utero geſtantis. Vtra igitur harum ſententiarum eſt uerior? Putamus nos materiæ facientis, uel potius facturæ uariolas, & iam iam ad cutem, & ad partes cuti proportione reſpondentes expellendæ, eſſe poſſe modo arterias, & venas: modo membra ſeu ſubcutaneam regionem, ambitumq; corporis: Et omnino bonam, maximamq; partem locorū noſtri corporis, in quibus materia factura alias febres ſtabulatur, & bullit, putreſcitue, ad materiam quoq; facturam uariolas, & morbillos pertinere. Et ratio huius noſtræ ſententiæ eſt, quoniam febris, quæ ante uariolarum eruptionem, uel omnino cum eorundem eruptione obſeruatur, modo eſt ſynoca ſine putredine: modo cum putredine: modo eſt uehementior: modo minus uehemens: modo alijs & alijs ſymptomatibus coniuncta: natura, & vehementia, differentibus. Adde quod modo inficitur ſola cutis externa, modo inficiuntur tunicæ uiſcerum, cuti proportione reſpondentes, modo facilis, & expeditus eſt horum exitus: modo difficilis admodū: quæ omnia, etſi poſſunt refferri in alias cauſſas: commode tamen in hanc ipſam quoq; redigi: reduciq; ſolent. Quemadmodum:

Auer. 3. Collig. cap. 8.

Auenzoar li. 2. tract. 2. c. 3.

Raſ 30. Continē tis.

Halyabatis ſententia li. 8. Theorica c. 14.

dum: quæ omnia,& ſi poſſunt refferri in alias cauſ ſas: commode tamen in hanc ipſam quoq; redigi, reduciq; ſolent. Quemadmodum ergo non apte admodum aut uenas ſolas: aut arterias ſolas: aut ſubcutaneam ſolum regionem dices locum mineræ huius materiæ: ſic apte, ac decenter conſtitues eundem locum modo hanc, modo illam corporis asſignatam regionem. atq; de termino, à quo expellitur, ſeu in quo ſeruet materià factura uariolas, & morbillos hæc dicta ſint: eam ſcilicet ferue re, & ebullire modo in hac, modo in illa corporis regione: & modo ab hoc, modo ab illo termino expelli, atq; deturdi. Sed quod nam eſt agens? quis nam eſt opifex huius operis? quid nam in noſtro corpore reperitur, quod hanc expellendi uim reti neat? ſcribebat Galenus aliquando gigni in cute puſtulas, natura expurgante altiores corporis partes, & noxiam materiam mittente ad cutem. Et Auicenna loco toties citató notabat, fieri uariolas per modum criſis: ſiue hęc criſis ſit bona, ſiue mala: ſiue perfecta, & ſalutaris, & tuta: ſiue imperfecta, anceps, & infida: omnino in criſi uel natura ex conſilio expellit, & prouide: vel improuide, & inconſulte, ſcilicet irritata, & ſtimulata: itaq; uis expellens ſemper erit natura ipſa, ſiue facultas. Sed quoniam hæc facultas: hæcq; natura ſine calore nihil agit: ſed ſemper calorem natiuum ſibi aſcisſit comitem, & adminiculatorem, propterea dum na turam dicimus, illam ſemper audiri uolumus huic natiuo calori coniunctam: omnium ſiquidem operum, quę noſtro in corpore ex naturæ lege fiunt, auctor, & opifex eſt iſte calor, quem ſiue naturalem: ſiue natiuum dicas nihil reclamabimus. Sic Auenzoar loco antea citato calorem naturalem

Quę ſit cauſſa expultrix huius materiæ.
Gal. 2. in 6. de morb. vulga. t. c. 30.

eum

:um eſſe, à quo fit hæc expulſio manifeſte ſcribe-
oat. hoc idem Auicenna, & Raſis admonent, & om
nino certum eſt & probatis medicis perſuaſum
naturam huius caloris interuentu omnia ſua ope
ra moliri. Porrò naturæ nomine (quemadmodũ) *Diſputatione no ſtra de Anima facultatibus.*
alibi ſcripſimus, in Galeni, Hippocratiſq; doctri
na nõ aliud audire præſtat, quam natiuum cuiuſq;
partis temperamentum, quod etiam facultatum
eſſentiam apud eoſdem condere, atq; conſtruere
perſuaſum habemus. Iam uero cum iſte calor, quẽ
proximum huius expulſionis opificem facimus, eſ
ſe poſſit modo exiguus, modo maior, modo ue-
hemens, & fortis, quæret forte aliquis, qualis nam
in hac expulſione deſideretur. Cui reſpondere nõ
erit difficile, ſi memores ſimus eorum, quæ notat
Auenzoar, qui non antea fieri poſſe hanc expulſio *Auenzoar loco citato.*
nem admonet, quam natura facta ſit fortis & con-
fortata (vt ille ait) quæ ſcriptoris doctrina, & ſi ad
eos uariolas inſtituta ſit, qui in pueris propter ſepa
rationem menſtrualis reliquiæ, fiunt: vera tamen
etiam eſt in aliis uariolis, qui ex prauis ſuccis pro-
pter prauam uiuendi rationem in còrpore conge
ſtis, generantur: nam & in his, ſi debet fieri ea ex-
pulſio, calor fortiter agens expetitur: ſi enim
langueat, ac præ imbecillitate ſatiſcat, iam
non erit potis moliri hanc expulſionem. Itaque in-
quantum expellens, potens & fortis iure dicetur.
Notandum quoq; & illud fuerit, quod cum expul
ſio hęc duplici fieri ratione ſoleat, vel à natura vl-
tro operante, & mouente humores tunc cum co-
ctionem opportunitatemq; nacta ſit: vel eadem
natura propter vexationem, & propter ſtimulum
irritata, & laceſſita: In vtroque genere expulſionis
huius naturæ calor deſideratur. vt propterea ue-

rum

rum ſit, quod dicebamus fieri hanc variolarem, & morbillarem expulſionem à calore naturali: & illo quidem potius forte, vehementerq; agente, quã vel debili, ac exiguo; vel imbecilliter operante. ſed iam quæramus ſpatia, per quæ vitiata hæc excrementa in cutem à membris, & venis migrant: qua in re breuiter credimus, vt plurimum hæc ſpatia eſſe venas, & arterias: cum maxima ex parte minera illius materiæ in venis, arteriisq; latitet: interdum tamen eſſe porroſitates carnium ambitus corporis per quas, fieri hæc migiatio posſit. cum enim dixerimus mineræ ſedem modo eſſe venas, & arterias, cum communes, tum partibus appropriatas: modo eſſe membra, hoc eſt ambitum corporis, credibile eſt naturam mouere hanc materiã per ſibi commodiora, & magis conſentanea ſpatia: vnde à venis, & arterijs, per ipſam venarum, arteriarumq; ſeriem, atque progerminationem, vſque ad capillares, ſubcutaneasq; venas noxia excrementa propellet in cutem. à membrorum vero, atque adeo ambitus totius carnibus, per poroſitates ſubcutaneas, & cutis: & quoniam hæc expulſio varia apparet, & ſecundum varias rationes ſuccedit, in primis ſufficiet adnotare, eam modo fieri conſertim: modo paulatim, conſertim quidẽ vbi vnica expulſione plurimæ puſtulæ erumpunt: ſic enim materia turmatim, atque conſertim expellitur: paulatim vero, vbi paucę puſtulę effloreſcunt: atque in his modis varius eſt gradus huic vel illi magis accedens, prout magis vel minus eam, vel hanc expulſionis rationem imitatur: qua in re etiam credimus conſertam expulſionem vt plurimum ex venis & arterijs: paulatim vero ex poroſitatibus celebrari. Veruntamen dum hoc dici-

Quæ ſint ſpatia per quæ mouetur materia.

Modus expulſionis.

mus,non propterea ſignificare volumus interdum euenire vt expulſio hæc admodum violenta & impetuoſa ſit: nam etſi illam dixerimus fieri à calore valido potius quam imbecillo: interdum etiam turmatim,atque confertim : nondum tamen diximus illam concitate,& magno cum motu perfici: qui putamus moueri quidem hanc materiam à natura,modo prouide,modo improuide agente: ſemper valida potius quam fatiſcente : atque propterea,modo copioſam,modo exiguam, eandem materiam moueri: vnde aliquando magna puſtularũ copia apparet: aliquando perpauca. In hac tamen motione ſemper obſeruari motum moderatum, & placidum : non celerem: non concitatum, non impetuoſum: non celeriter & feſtinanter excurrẽtem ſpatia ipſa,per quæ mouetur. quod tam diſtincte animaduertere uiſum eſt propter eos, qui confertam,& turmatim ſeu abundanter factam euacuationem,expulſionem, atq; adeo motionem confundunt cum celeri, præcipiti, feſtinanti, atq; impetuoſa: cum tamen vna etiam ſine alia extare, fieriq; ſoleat, vti dictum eſt. Hoc loco quærunt Recentiores medici cur dum fit hæc expulſio ad cutem,non rigeant ægrotantes. & nonnulli reſpõdent cauſſam eſſe,quia materia, quæ expellitur nõ eſt acris,ac mordax: ſed hæc ſententia nobis non placet, qui ſcimus materiam illam eſſe putridam, eſſe cum bile aliqua ; at & bilis,& putredo ſine acrimonia eſſe non ſolent. adde accrimoniæ illius materiæ argumentum pruritum,cum quo puſtulæ illæ apparent,quẽ certe pruritum abſq; acris cauſſę præſentia fieri non poſſe probati medici omnes pernouerunt. Quare alii reſpondent non fieri rigorem,quia materia non mouetur cum celeri,& ma-

Quorundam recentiorum æquiuocatio.

Cur in variolarum morbillorumq; expulſione non ſuccedat rigor.

Recentioris cuiuſdam ſententia impugnata.

K gno

gno motu: quæ quidem reſponſio in ea parte in, qua magnum,& celerem motum deſiderat ad rigorem generandum, Galenica &dogmatica eſt,& ad rigoris naturam cognoſcendam, conſtituendāq; conducit. ueruntamen illam quoq; declaratione opus habere credo. Galenus enim illo ipſo loco,quo,in rigore concitatam,& feſtinantem materię motionem deſiderari ſcribit, docet etiam hunc materiæ acris,& ſtimulantis motum celerē, non facere rigorem ſi per venas, arteriaſq; atq; adeo per uaſa fiat: ſed ſolum ſi per carnes celebretur: tunc enim rigorem facturum animaduertit. quare cum in uariolis,& morbillis materia modò ſubſideat in ambitu corporis,modo in uaſis, diſtinctione erat opus,qua docerentur ſtudioſi, in motione materiæ,quę per vaſa fit, etiam ſi illa celer, & concitata eſſet,non ſucceſſurum rigorem:illum vero ſolummodo appariturum ſi materia, quæ per carnium poroſitates mouetur,cum impetu expelleretur. mentiar niſi hoc ipſum à Galeno explicāte doceri demonſtrem. Sane rigorem conſequi celerem concitatumq; materiæ motum docuit illis verbis Galenus. Sic horroris affectus cum in motum agitur concutientem rigorem efficit. Et paulo infra. Ac mihi quidem ita uidetur:eundēq; hominem ſicuti quieſcentem quidem ſolam inæqualitatem ſentire,ità motum horrere,& exercitatum rigore concutiente vrgeri: Et paulo adhuc inferius. Verum ubi mordens aliquid in iis conſtitit, ac potiſſimum quod vehementi agatur motu, & angitur eos. Verum ſi omnes hoc motu ſimul motas intelligas, concuſſionem vibratumq; totū corpus comprehendere intelliges, quales id in uigoribus comprehendere cernuntur. Et ſuperius adhuc

Gal.l.2. de cauſſis ſymptomatū cap.5.

Gal.2. de cauſ.c.5. ſymp.

huc

huc clarius. quoties igitur aliquid per hæc uiolen
ter agitur, ac ad cutim defertur, neceſſe eſt dum
carnem, cutimq; permeat, omnia, in quæ incidit
pungat, ſtimulet, diuidat, ac uulneret. Quod uero
materia dimota per uenas, & per arterias rigorem
non faciat, idem docuit Galenus eodem ipſo in lo
co. Neque enim (inquit) de ſuccis, qui in venis; &
arteriis fluunt, eſt diſputatio, ſed de ijs, qui in car-
nibus ſunt, & toto corporis habitu. Ad pro-
blematis igitur reſponſionem optime moliendā,
neceſſaria videbatur hæc diſtinctio, vt ſcilicet ma-
teria, quæ à venis, & arterijs, & quæ per has in cu
tem tandem ſucceſſione partium propellitur non
faciat rigorem, non modo quia non mouetur cum
impetu, non agitur citato, & celeri motu, verum
etiam quoniam iter conficit per vaſa, quę aut ob-
ſcuriſſimum, aut forte nullum ſenſum à natura na
cta ſunt. materia verò, quæ per carnes mouetur il
larumq; poroſitates, non faciat rigorem, non quia
non moueatur per partes non ſentientes: ſed quia
(vt dictum eſt) vehementi motu non agitur. Verū
hoc loco vlterius inquirendum erat, cur ſi rigor
non fit, fieri tamen non ſolet horror? nam ſi rigo-
rem non contingere in cauſſa eſt motus inualidi-
tas, & exiguitas; cur hæc eadem motus commode
ratio ſaltem non facit horrorem? quinimo ſi neq;
eſt potis horrorem facere, cur ſaltem inæqualitatē
non infert? Equidem video neque ineptas, neque
inutiles eſſe dubitationes, quas tamen neminem
hactenus, qui hoc de argumento perſcripſit attigiſ
ſe conſpicio. ad illas tamen declarandas, ego pu-
tarim non aliud dici, docerique poſſe, quàm quod
à Galeno traditum eſt; qui cum aliquando conſi-
deraret, rigorem, horrorem; inæqualitatemq; ab

Cur non ſucce-dat horror.

Cur non contin gat inęqualitas.

iiſdem cauſſis fieri, dum illę varia ratione ſentien tes particulas afficiunt, docebat ſolam motus intē ſionem, remiſſionemq; hanc varietatem ſymptomatum inducere: quam quidem motus diuerſitatem, ſi eo etiam paruitatis deueniat, vt horum nullum excitare valeat, facturam tādem omnino pruritum. dimetiens autem, atque acri quodam iudicio expendens hanc ipſam motionem facientem pruritum, eam ad eo exiguam, & obſcuram eſſe dicebat; ut ſenſus potius uideatur, quā motus: hoc eſt, ut ægrotantibus ipſis, magis ſenſus prurituoſus notetur; quam aliqua materię motio. quod ſane in ſcabie, lepraq;, atq; adeo in pruritu animaduertitur; in quibus tametſi in cute efflorescant puſtulæ, & omnino ſcalptus neceſſitas, prurituoſaq; materia: nihilominus materiæ illius dimotio ab ægrotantibus non ſentitur: quod non aliam ob cauſſam (Galeno auctore) fit niſi quia materia illa tam ſegni, atq; ignauo motu agitur, ut nullam affectionem inde ſui ipſius communicet, ſed ſolum ſenſum pruritus inducat. Tuſſis quidem (inquit Galenus) ſternutatio, & ſingultus, & rigores, expultricis uirtutis ualidi motus ſunt: pandiculatio, & oſſitatio, eiuſdem quidem uirtutis motus ſunt, ſed mediocres. In horrore verò magis, etiam mediocres, quam in prædictis motus ſunt. Ac multo magis adhuc mediocres ſunt iis, quos inæqualitas ciet: ita ut eiuſmodi motus propemodum dixeris motus non eſſe, ſed tantum ſenſus. cuiuſmodi ſcilicet ſenſus in vlceroſa laſsitudine aduertūtur, atq; hoc etiam magis in pruritu. Cùm igitur in variolarum, morbillorumq; expulſione materię motio obſcuriſſima ſit, & moderatiſſima, nemini mirum ſi nullum alium ſenſum inuehit, quam pruritus,

Gal. li. 2. de ſympto. cauſ. c. 6.

Gal. lo co cit:

cum

cum non ſit potis, aut rigorem, aut horrorem, immo ne inęqualitatem quidem aliquam; uel certe læuem, & obſcuriſſimam permouere. Supereſt vt de tempore, in quo hæc motio, expulſioq; fit ſermonem habeamus: qua in re breuiter dicimus, variolas, & morbillos, quocumq; morbi tempore apparere. cum tempore cruditatis, tum tempore coctionis: modo ſubinde in principio, modo in augumento: modo in ſtatu: neq; enim eſt certum aliquod tempus, in quo hæc phænomena conſpiciantur: ſed modo naturæ robur, modo materiæ malignitatem ſequi ſolent: modo pendere a materiæ copia, modo à ui naturæ: Vnde pro varietate temporis, in quo apparent, contingit etiam iuditium de illis uarium eſſe, vti cum Auicenna ſuo loco dicemus. Atq; de modo generationis uariolarum hactenus ſit dictum ſatis.

De Tempore expulſionis ad cutem.

De Cauſa Finali in Variolarum, & morbillorum definitione conſtituenda. Cap. XVII.

ABſolutam uariolarum, morbillorumq; definitionem ex traditis colligere nunc facillimum eſset, niſi ea inquiſitio adhuc ſupereſſet, præſtet ne in ea complecti cauſſam finalem: cum enim hactenus três alias cauſſas explicauerimus, formalē, effectricem: ſubiectiuam ſeu materialem: adhæc & modum generationis, nunc non inutili labore inquirere decet, debeant ne ipſa quoq; finalis cauſſa, reliquis in ea definitione coniungi. Ac viget ſanè quorundam recentiorum ſententia illam omnino eſſe comprehendendam: quin eam nominatim explicantes, dixerunt, illam in eo conſiſtere, vt ſanguis malus à bono ſeparetur. Sed hæc ſententia (tanti uiri pace) mihi non placet: idq;

Recentioris cuiuſdam ea in re placitum.

Impugnatio illius opinionis.

idq; propter eam maxime cauſſam: quod variolę, & morbilli affectiones præter naturam ſunt: Res autem præter naturam carere fine adeo medicis, & philoſophis eſt perſuaſum, vt probatione non egeat. Adde quod quidam uariolæ, & morbilli, adeo ſunt præter naturam, ut ſequantur ſolum prauum motum materiæ, ut fiant à natura non quidem prouide operante, ſed ſtimulata, & irrirata: quo certe tempore non eſt naturæ conſilium ſecernere bonum à malo ſanguine: ſed ſolum id molitur natura, ad quod illa ſtimulatur, atq; impellitur. Porrò huius difficultatis priorem partē vidit hic Clariſſimus ſcriptor, & ut eam declinaret excuſat ſe, quod finem ponat rebus præter naturam. nam hæ puſtulæ, quas dicimus eſſe mala, & vitia præter naturam habent rationem boni, reſpectu maioris mali: eſſet autem (vt iſte ſcribit) maius malum non depurari unquam ſanguinem, quā interuentu variolarum defæcari. Verum enimuero hæc excuſatio recipienda non eſt: primum quia (vti ſupra argumentado obiiciebamus) ſæpe fiunt variolæ, & morbilli, prouide operante natura, quæ irritamentum potius ſequitur facultatis, quam vt opportune & apte operetur: vt in hoc caſu non ſit affirmandum hanc uariolarum generationem eſſe naturæ ſalubriorem, aut utiliorem. Secundo quia uiuunt homines longam uitam cum illa ſanguinis coinquinatione, qua per has puſtulas apparente interdum ſurripiuntur. at melius longe eſſe uidetur, diutius cum ſanguine coinquinato uiuere, quam cum illius depuratione, cum apparitione uariolarum, & morbillorum interire. Tertio quia eadem ratio cenſetur de uariolis morbilliſq;, atque de alijs cutis efflореſcentijs, qua-

Excuſatio ab impugnatione.

Excuſationis impugnatio.

quales ſunt, & vlcera, & maculæ, & puſtularum genera varia: ſedin his non ſemper hæc apparitio eſt melior, & optabilior. non ergo dicendum in variolis, & morbillis: hæc bonirationem habere. Quãquam vero Auicenna ſcribit fieri has eſflore ſcentias per modum criſis: Nihilominus tamen, hinc non debemus colligere, eas ſemper à natura ex conſilio, cum præmeditatione, & hoc vnico fine fieri, vt ſcilicet deſęcationem, depurationẽq; ſanguinis illa moliatur; quando ſatis conſtet illã improuide vt plurimum operari, cum ſtimulata, & irritata, talia pergit. Quid igitur agendum? Cõſtitenuda ne eſt finalis cauſſa in variolis, & morbillis? vel potius illa omnino dimittenda? Profecto neque aliqua ratio perſuadet illam comprehendendam definitione eſſe: neque Arabum auctoritates ad id nos cogũt: quamobrem ſatius eſt uariolas, & morbillos eodem ordine habere cum aliis cutis affectionibus, quam in his philoſophiæ ordinem, dogmata, & fundamenta, ſinè vlla utilitate, aut doctrinæ perſpicuitate peruęrtere.

Auctoritas Aui. exponitur.

Propria ſententia.

Colligitur integra Variolarum, & morbillorum Definitio. *cap. XVIII.*

SI quæ hactenus de uariolis, morbilliſq; conſcripſimus apte, & ex rei natura tradita ſunt, iam ſatis nos docebunt integram abſolutamq; uariolarum, & morbillorum definitionem, quam nunc quoq; afferentes, dicimus, Variolas, & Morbillos, eſſe puſtulas calidas, & humidas cutis, cutiq; partibus proportione reſpondentibus cum febre cõtinua, propter expulſionem ſanguinis efferueſcentis in uenis, aut in ambitu corporis, factam à ualido cal ore naturali. Qua in definitione notãdum,

quod

quod & ſi forte alicui uideatur nos definitionis huius genus facere puſtulas ipſas, quæ alioquin minus eſſe ex artis uſu uidentur, quam febris ipſa, cum qua hæ puſtulæ coniunguntur. Nihilominus quoniam uariolæ, & morbilli nō ſunt eius ordinis, cuius eſſe uidentur maculæ, & puſtulæ reliquæ, quæ cum externam cutem prehenderint, nō ſe altius ipſa in uiſcera inſinuant, cum tamen variolę, & morbilli non modo externam, uerum etiam internam uiſcerum cutim inficere ſoleant, immo vero cum tantam habeant ſæuitięm, ut ex his interdum plurimi, corruptis uiſceribus, ab his puſtulis interierint, non eſt præter rationem quid tale in uariolaribus, & morbillaribus puſtulis facere, cum tamen in aliis non uſque adeo ſit familiare, aut frequens. Atq; ad dignotionem uariolarum, & morbillorum genericam quod attinet hæc uiderentur dicta ſatis, niſi nonnullæ perpaucæ tamen difficultates negotium facerent, ex quarum explicatione longe illuſtriorem, atq; euidentiorem uniuerſam de his puſtulis doctrinam futuram exiſtimamus. Sunt autem hę omnino huiusmodi. quæ nam, & cuius ſpeciei ſit hęc febris quam continuatione quadam variolis coniungi diximus. Sit ne hæc affectio ſemper contagioſa, & quando, & quomodo. Poſtremo quæ ſint horum malorum cauſſæ immediatæ, & procatharticæ: De quibus quidem ſingulis quam breuiſſime dicam.

Pro-

Propoſitarum Difficultatum Explicatio. Cap. XVIII.

QVę nam igitur, qualisq; eſt hæc febris, quam connexione quadam variolis coniungi ſcripſimus? Profecto continuam illam eſſe iure diximus, poſteaquã nunquã in variolis ex vſu artis, ęgrotantes in quietem febre vacantem deſinunt. quinimo eſt inter continuas vt plurimum Synoca, cum eundem ſemper ſeruare tonum videatur. Et quanquam interdum in variolis vſu experientiaq; ſit obſeruatum, ægros deuenire ad inſignem quandam quietem, ac ferè dixerim immunitatem ſebris: tunc vero illis acerbiorem febrem ſuccedere, & inualeſcere calorem febrilẽ, itaut alicui forte videri poſſit nouas exacerbationes, quæ ordinatam aliquam periodicationem ſapere poſſit illis obuenire; illud tamen potius eſt animaduertendum hanc exacerbationem non ſequi periodicationem aliquam, ſed nouam aliam ebullitionem, atque nouam efferueſcentiam reliquiarum materiæ. Et quanquam dictũ à nobis eſt materiam uariolarum eſſe poſſe quencunq; humorem, ut propter hanc cauſſam dici etiam uideatur poſſe cum uariolis coniungi quodcunq; genus febrium periodicarum, huic, & illi humori reſpondentium, quia tamen quiſquis hic humor fuerit, hunc antedicto modo contingit feruere, & ebullire in dictis regionibus, fit vt per modum ſynochæ afficiat. Itaq; febris hæc eſt continua eo quo dictum eſt modo, & præterea eſt ſynoca ui plurimum. Nunquid vero ſit putrida, uel ephemera dubitatum eſt. nam ſępe calor in uariolis adeo blandus, & ſuauis, & uaporoſus eſt ut ephemerã ſapiat, ſæpe uero & ſi talis calor eſt, diutius quam

calor ephemerę perdurat, ut propterea Auerroes, febres quaſdam uocatas medias introduxerit. ſæpe tandem & calor eſt mordax: & febris protractio putridis conſentanea: & ſymptomata, atq; excreta putreſcentiam non obſcure teſtantur, & aliquando etiam malignum aliquem exitialemq; morem. Nos ergo putamus febrem, quæ in uariolis, morbilliſq; ſpectatur, eſſe modo ephemeram: modo putridam. de hectica namq; à nullo unquã fuit dubitatio illa ne uariolis, morbillisq; coniungeretur. Quod enim de febribus in genere quambreuiſſime dictum eſt, dici etiam particulariter de febre uariolari, & morbillari debet: quam interdum ephemerarum, interdum putridarum ex ordine eſſe, nunquam uero cum Auerroe mediarum febrium naturam ſapere exiſtimamus. At de febribus iſtis ſatis locuti uidemur, quantum præſenti ſermoni conuenire poteſt. Vlteriorem propterea hoc loco perueſtigationem faciamus de hac humorum putredine in febre uariolarum, & morbillorum. cum enim dixerimus fieri hanc febrem ex efferueſcentia, & ebullitione quæret fortaſſe quiſpiam, ſit ne eadem ratione habenda putredo, & ebullitio: quidq; tandem hęc efferueſcentia, hæc ebullitio ſignificet. Profecto de putredine argumentum fuſa oratione complexi ſumus partim libro illo noſtro de febre peticulari, puliculari, ſeu puncticulari, partim in Phyſiologia de febribus putridis in communi, ibi enim cũ in genere, tùm ſeorſum putredinis naturam, differentiaſq; tradidimus ſeruata ſemper cum Peripatecicorum, tum Dogmaticorum, Galeniq; in primis doctrina. quocirca in præſenti diſputatione ſufficiet animaduertere eſſe quancunq; putredinẽ

Auer. li. 3. collig. c. p. 8.
Febres Mediæ.

De putredine i hac febre qua, & qualis.

hu-

morum in ſubſtantiali quadam mutatione,non au tem nuda alteratione conſtitutam. hanc uero im-mutationem eſſe maiorem,& minorem, gradibus que uariis à ſe ipſa diuiſam,ac ſeparatam: nam cũ fit hæc mutatio ueluti vires ac gradus acquirit eũ do,& per illos gradus progreditur quoad conſu-matam attingat corruptionem, quæ uel incinera tione,& puluereo ueluti ſedimento clauditur uel in aliam naturam faceſſit,quemadmodum alibi ex plicauimus. Hoc nerò dum dicimus nolim eſſe aliquem uel adeo ineptum,uel tam maligne Gale ni,noſtrorumq; dicta audientem,qui cenſeat, nos hoc loco,cinerei,& puluerulenti appellatione in telligere propriè dictum puluerem, & cinerem, qualis in ea putredine fit,quæ aridis competit uel quæ mixta in elementa reſſoluit,atq; ad puluerẽ, & cinerem(ut dicebat Ariſtoteles) reducit: qua in re non deſunt,qui Galenum contemnant & ca-lumnientur: ſed ita pulueruIenti,&cinerei nomen accipimus, ut qui humores tali corruptione inte-reunt, terreſtreitatem quandam & cinereitatem (vt ſic loquar) acquirant,ſeruata adhuc tamen ea fluxibilitate,cum qua poſſint, & à medicamento purgante(ſi opus ſit) moueri,& à natura per ſudo-res, per vrinas, per nares, per hęmorrohidas, atq; per aliquam aliam familiarem euacuationẽ e cor pore propelli. quam rem explicate inuit Galenus, dum poſtulas illas in peſtifera quadam febre in cu
» te apparentes, fieri dicebat expellente natura ad
» cutem ſanguinis reliquias,qui in febre putruerat:
» quas ueluti cinerem quempiam natura ad cutim truſiſſet,ſicut alia ex ſuperuacuis non nulla trudit. id ipſum pariter uideo docuiſſe Galenum omni-bus in locis, in quibus ab eo facta mentio eſt de

Gal li.2.de dif. feb.cap.vlt.& 9

Ariſt.lib.4.me-teor.

Gal.li.5. meth. cap.12.

humorum putreſcentium reliquiis, de inquinamentis in particulis remanentibus, de humorum accenſione, combuſtioneq;, vt ineptire illi mihi uideantur uel certe Auerrois in morem Galeni Gloriæ inuidere, qui tam leuia, tam puerilia pro ſeriis, pro grauibus illi obiicere pergunt. Sed nimis forte à propoſito diuagati ſumus: cum potiſſimum hoc de putredine argumentum alibi (vt dictum eſt), fuſe explicaturi ſimus, quo loco, & quid putredo humorum ſit, & quid excellentioris putredinis titulo Galenus uelit, aperiemus: cum .n. benignæ quęq; febres id habeant, ut ſecundum aliquas partes humores in illis deducantur ad incinerationem: non uideatur autem eſſe poſſe excellentior putredo illa ipſà, in qua humores ad cinereum deducuntur inquinamentum, non uidebuntur malignæ à benignis ipſa excellenti putredine diſtare, cũ æqualiter ambæ finẽ excellẽtis putredinis attingant. Galenus tamen non unico in loco ſcribit, diſtare malignas à benignis febribus ſolo gradu, & excellẽtia putredinis: quod qua ratione audiẽdũ ſit, & quæ benigna, quæq; maligna putredo dici debeat citato loco fuſe tradimus. Ad rẽ vero noſtrã præſẽtẽ quod attinet ebullitio, ſeu efferueſcẽtia humorũ, ſeu ſãguinis, nõ aliud nobis eſt quã mitis quędã putredo, quã incipiẽs quædã corruptio à calore multo præternaturali cõfortato tamẽ à natiua caliditate. Omnino tamẽ quoad in ſolo feruore & in ſola ebullitione humores perſtant, leui quadã putredine, & incipiente corruptione detinentur, itaut hęc efferueſcẽtia in putredinem, conſumatam via ſit, atque veluti carcer quidam: quo enim alio nomine medici aptius complectentur hanc per efferueſcentiã

Gal. 2. de diff. feb. c. 4. 5. & alibi.

Gal. in Epidemijs, & alibi.

mu-

mutationis ſpeciem, ſi de putredine non habeant mentionem: ſed hac de re alibi: Nunc ſatis fuerit adnotaſſe hanc febrem variolarem, quę fit ſemper ex efferueſcentia, ebullitioneq; humorum, eſſe ſemper cum putredine aliqua. vocandam tamē modo putridam, modo ephemeram, prout modo cor petitur ac afficitur à fuligine ipſa putrida: modo à ſola qualitate calida per partem poſtpartem ab ipſo foco efferueſcentiæ ad cor perueniēte, vti aliquando à Galeno & ab Auic. dictum eſt. quemadmodum quoque in alijs febribus euenire ſcimus, in quibus etſi (exempli gratia) in inguinis bubone putris humor facit febrem, nondum tamen putrida febris vocabitur, niſi à minera illa inguinis ad cor perueniat ipſa putrida fuligo. qua in cor delata, ſtatim putrida febris conſtituitur. *Gal. li 1. de dif. febr. & Auic. 1.4. fr. 4. c. 13.* *Gal. li. 1. de dif. feb. c. 5.*

Poſtremo illud de hac febre quærere præſtat ſit ne contagioſa, an non. Communi hac in re ſcriptorum conſenſu receptum eſt febrem hanc eſſe contagioſam: quod ſane videtur eſſe conſentaneum ijs, quę quotidie in hac lue affectis obſeruantur: in his enim ſatis apparet communicari vitium ijs, qui commercia cum illis habuerint, qui illis familiariter vſi fuerint, & eos aliquomodo attentauerint quanquam vero cōtagium huius mali videatur maxime cum illis habere ſympathiā, atque quandam veluti analogiam, qui nondum in pueritia ſanguinis menſtrui inquinamētum expurgarint, quiq; nūquam antea variolas, aut morbillos experti fuerint, quod etiam in pueris animaduertitur, qui ſi multi ſint in vna familia, vbi aliquem corripi malo contingit, ſtatim conuolat in alios pueros vitium, illæſis grandioribus, & adultis, quibus iam anterioribus annis affectio mo-

leſta

leſta fuerat: Nihilominus aliud genus variolarũ, quod putredinem illam, quam vltra efferueſcentiam conſtituimus, habere ſolet, etiam in adultis, & in natu grandioribus contagioſum eſſe reſpicitur: vt paſſim contagioſam affectionem & Fracaſtorius, & Vidus, Vidius, & alii cum ratione affirment. Eſſet huic diſputationi finis imponẽdus, ſi nobis opportunum non videretur conſiderare quandam diſtinctionem, quam nonnulli recentiores de hac uariolarum, morbillorumq; putredine faciunt, dicentes illam efferueſcentiam, ſeu ebullitionem duplicis eſſe ordinis, aliam perfectiuam: aliam corruptiuam. Perfectiuam illam dicunt, quę fit in pueris propter ſeparationem & expurgationem inquinamenti ſanguinis. Corruptiuam illam vocant, in qua perputredinem ſanguis amittit propriam formam & migrat vel in alios humores, uel in inquinamenta cinerea atq; maleolentia. Similes faciunt has putredines ſeu ebullitiones, illis quæ in uinis fiunt: nam muſtum per ebullitionem perfectiuam clareſcit: per corruptiuam fit acetum. Hæc conſideratio nulla ratione negligenda eſt, cum Auicenna & alii Arabes eam recipiant, & apte propoſito conuenire uideatur: Sed tamen meminiſſe oportet eam corruptionem, quàm bullitionem corruptiuam iſti nuncupant, adeo eſſe prętelnaturalem ut quocunque fine careat: vt non fiat à natura ex conſulto moliente eam ebullitionem, ſed à uiolentis morborum cauſſis. Satius enim eſſet, naturam non pati illud incommodum, & conſeruare ſanguinem in ſui natura, ac conſtitutione, quam illum corrumpi, & uerti in alienam, & exitialem naturam. Itaq; ſi hæc doctrina ab iſtis recipienda

Fracaſtorius li. illo de morb. contag. & Vidus Vidius cap. de Variolis & morbillis & Auic. loco cit. ſuperius.

Auic. loco cit.

Recentiorũ quorundã error conſpicuus.

da eſt, coguntur deinde exuere, ac delere. aliam doctrinam, ab illis allatam de cauſſa finali in definitione uariolarum, & morbillorum conſtituenda. Sed iam de ſpecie febris, putredine, & contagione diximus ſatis. ad Coronidem huius capitis præſtat non nihil ſubiungere de cauſſis mediatis uariolarum, & morbillorum. quæ ſanè multiplices eſſe, & poſſunt, & ſolent. quandoquidem, Temperamentum: Aetas: Anni tempus: Aeris cõſtitutio: Vẽti: Regio: Vacatio ab euacuationibus: Contagium: Ambulationes per ſolem: Cibaria praui ſucci: Otia: atq; huius ordinis alia hac ſerie comprehenduntur. Ad Temperamentum quod attinet adnumerabant Auicenna, & Raſis corpora calida, & humida, & proprie illa, quæ conturbatam, hoc eſt (quemadmodum ego interpretor) impuram: inconcoctam, atque adeo diſpoſitam ad recipiendam ebullitionem, humiditatem habent: De Aetatibus dicebant pariter iiſdem ſcriptores omnium ætatum maxime puerilem, minime ſenilem eſſe expoſitam huic affectioni. De Anni tempore ſcribunt, Vernum primo, mox Autumni finem eſſe feraciſſimum harum puſtularum: & eum autumnum maximopere ad has affectiones conducere, qui habuerit ęſtatem præcedentem calidam, & ſiccam, ipſeq; fuerit calidus, & ſiccus: quale certe anni tempus, & Cęli conſtitutio hoc ipſo anno MDCIII, quo hęc ſcribo uiget, quo etiam tempore ubiq; multa copia uariolarum, & morbillorum obſeruatur. Aeris conſtitutionem, calidam, & humidam primum: mox calidam, & ſiccam his malis conuehendis idoneam faciunt. Ventoſq. potisſimum Auſtrales eſſe in cauſſa, vt hæc lues multiplicetur docent. Sic &

De Cauſſis Mediatis Variolarũ & morbillorum.

Auic. & Raſ. loca cit.

Regio, quæ ad auſtrum ſita ſit magis erit his malis expoſita, quam quę in bonam, propendat. De vacationibus ab euacuatione aliqua, notabat Gal. eos facile hoc malo corripi, qui ſanguinis miſſionem per uenam ſectam reformidant ita ut uel rariſſime, uel nunquam ſibi ſanguinem detrahi patiantur. Ad Contagium quod ſpectat expreſſe ſcribit Auicenna morbillum, & variolas eſſe de numero illarum ægritudinem, quæ ſunt contagioſæ. Sic de ſole dicebat Auic. ſolem, & alias cauſſas calefacientes habere facultatē diſponendi corpora ad uariolas, & ad morbillos. In cibis & potibus admonebat Auicenna, cibos, qui non ſunt hominibus familiares, & conſueti, & qui uim habent calefaciendi: & medicamenta calorifica cū his admiſta: & lac camelarum, & equarum abundanter ingeſtum ab aliquibus, qui illi non fuerint aſſueti, uariolas, & morbillos poſſe generare: De potibus uero notabat, vina generoſa, & calorifica, potiſſimum antedictis cibis coniuncta poſſe pariter hęc mala excitare. Iuuabunt quoq. huius luis prouentum, otia, coitus, & alia, quæ conturbatas humiditates in corporibus multiplicare poſſunt. Monebat Halyabas multam comeſtionem carnium; & rerum dulcium, & dactilorum, aliaq; huius ordinis cibaria conſueuiſſe variolas, & morbillos parere. Auenzoar quoq; dulcium uſum ſummopere conducere ad variolas, & morbillos fouendos, & producendos docet, atq. de his hactenus.

Halyabas li. 8. Theorica c. 14.

Auenzoar l. 2. trat. 7. cap. 3.

De Variolarum, & Morbillorum Differentiis. *Cap. XVIII.*

CVm rerum differentię, & ab ijs, quę eſſentialia illis ſunt, & ab ijs, quę accidentaliter, illis obueniunt capi ſoleant: potiores autem, & magis ex vſu artis illæ perhibeantur, quæ ab iis, quæ ſecundum eſſentiæ rationem in ſunt deſumũtur: nos Variolarum, Morbillorumq; differentias afferentes, ab his potiſſimum (cæteris non neglectis) illas deſumemus. Et quoniam tria interna, & eſſentialia in his puſtulis conſiderauimus. genus ſeu formam: ſubiectam materiam: cauſſam efficientem, à quibus proxime fluit generationis modus. Nos quoq; his inſiſtentes, ex his maxime has differentias haurire tentabimus, Initio sũpto à genere, ſeu ab Idæa, ac forma. Cum autem formam, puſtularum calidarum, humidarumq; genere complexi fuerimus: adhæc addiderimus continuam febrem, præſtat ab his, & ab iis, quæ his ſunt cognata generis differentias deligere. Quoniam autem prima affectio illa eſt, quæ ad quantitatem pertinet: ſecunda, quæ ad qualitatẽ: primæ erunt generis differentiæ in eo quod hæ puſtulæ ſi de quantitate continua loquamur modo minores, modo maiores ſunt: atq; ſi de diſcreta quantitate ſit ſermo, in eo, quod modo ſunt plures: modo pauciores. Minores illæ, dici morbilli ſolent: Maiores autem variolæ: Grandiores adhuc Sturollo nobis: Foroiulienſibus autem Varolon dicuntur. Pręter has tres differentias enim aliæ minimæ conſtitui poſſunt: & quanquam Vidus Vidius quartam quandam differentiam deſcribat, quam Chryſtalli formen nonnullos: non *Vidi Vidij Notandum parum tutum.*

nullos autem Rouiglionem dixiſſe notat, crediderim tamen hanc quartam ſpeciem minime nouo affectionis genere poſſe comprehendi; cum uel certe ad aliquam trium differentiarum redigi poſſit: vel omnino à uariolarum morbillorumq; ordine ſit exturbanda. Iam uero in intemperie eandem differentiarum latitudinem ſi bene æſtimes, facile comperies. Nam in his puſtulis modo maior; modo minor caliditas: modo maior, modo minor humiditas reperiri ſolet. At quã titati ſuccedit qualitas, propter quam harum puſtularum alias dices rubras, alias albas, alias liuidas, alias luridas, alias uirides, alias nigras: & rurſum alias dices in figura rotandas, alias acuminatas, alias latas, alias oblongas: & ſimiliter in modo inhærentiæ, alias diſiunctas inuicem, & diuiſas, alias connexas, & cohærentes: ſimili quoq; ratione intemperiei huius aliquam dices acriorem, aliquam minus acrem: & tandem eorundem uariolarum & morbillorum alios magis, alios minus prurituoſos. Generis differentiis ſuccedunt, quæ à ſubiecta materia deſumuntur. hanc diximus eſſe cutem externam, & uiſcerum, & propterea modo erunt uariolæ conſiderandæ in hac: modo in illa: & rurſum ſi in externa modo in altioribus modo in magis externis illius regionibus: modo cum maiori, modo cum minori illius excauatione. modo habent impetum magis in faciem: modo in oculos: modo in pedes: modo in manus: modo in uniuerſũ corpus. A cauſſa uero effectrice variæ ſumuntur differentiæ, pro illius cauſſę uarietate. nam modo apparebunt uariolæ, & morbilli ex ſanguine: modo ex bile: modo ex melancholia: modo ex pituita: modo ex ſeroſi-

Auic. loc. citato.

roſi-

roſitatibus:modo permixtione quadam nonnullorum ex his humoribus,& ichoribus: modo ex omnium ſimul admiſtione. Modo ex coinquinamento ſanguinis menſtrui:modo ex prauis ſuccis genitis propter malam uiuendi rationem:Modo per contagium:modo ex aere maligno:modo deniq; ex aliqua alia ex dictis cauſis. Poſtremo & ſuæ quoq; à modo, quo generantur, differentiæ eliciuntur. Nam interdum efflorefcunt hæ puſtulæ in cute abundanter: interdum diminute: interdum apparent, & poſtea retrocedunt: interdum apparent;& permanent. nonnumquam incipiunt morbilli,& migrant in uariolas: nonnunquam incipiunt uariolæ,& permanent uariolæ pariter:nõ numquam incipiunt morbilli,& permanent itidẽ morbilli: Aliquando fiunt per modum motus critici vtilis, & naturæ prouide operantis conſilio: Aliquando obueniunt à natura ſtimulata, &irritata;vti dictum eſt: quin & aliquando apparent in principio: aliquando tardius: aliquando copioſi in initio.aliquando eo tempore pauci. Deniq; multiplex eſt in his uariatio pro uarietate generis,ſubiectæ materiæ, cauſsæ effectricis, & generationis modi, quemadmodum iam diximus.

De ſignis Variolarum, & Morbillorum.
Cap. XIX.

VAriolarum, Morbillorumq; ſigna ex multiplici fonte peti ſolent, in primis autem præſtat diſtinguere ſigna præmonſtrantia, & ſignificantia futuram hanc ægritudinem. Mox demonſtrãtia illam ipſam præſentem. Quod ad illa ergo pertinet,triplex eſſe uidetur illorum ſignorum ra-

tio. nam & ex corporis facultatibus læſis: & ex qua litatibus mutatis: & ex excretis facile ea argumenta capiemus, quibus uenire in cognitionem ualeamus iam iminere uariolas, uel morbillos. Ad facultates igitur quod attinet, & primum quidē ad motiuam actionem, cum in huius materiæ ad cutem expulſione prægrauari contingat muſculos, qui ſunt proxima motus ipſius inſtrumenta: cumq; idem patiantur neruaceæ partes reliquæ, cum illæ, quæ aliis motibus, tum illæ, quæ motui reſpirationis inſeruiunt, fit ut antequam in cute effloreſcant, ęgrotantes experiantur harum omnium partium motus difficultatem. vnde motus progresſiuus fit illis tremulus, & uacillans: oſcitatio multa, reſpiratio difficilis: & procliuitas ad decubitum, ac ſupinitatem. Sic dicebat Auicenna. his anhelitum conſtringi & oſcitationem ſuccedere, & tremere pedes, & contingere procliuitatem ad reſupinationem. Quod uero ſpectat ad actionem ſentientem, & primum quidem ad tactiuam, cum materia iſta ebulliens partim detinea in aliquibus locis, tanquam in minera: partim inde expellatur ad uarias corporis regiones, & quatenus detinetur, & quatenus attingit alias regiones corporis ſemper ſuæ ſobolis, ſuæq; naturæ effectus conſentaneos relinquit. Vnde quatenus detinetur in vena, & arteria magna, quæ deſcendit per dorſum, magnum (vt ait Raſis) excitat in dorſo dolorem, ibi ebulliens, & feruens, & ſecundum tactiuas qualitates uehementer agens. hinc Auicenna dolorem magnum dorſi præcedere uariolarum apparitionem docuit. quatenus uero demittitur ad uarias corporis regiones, uarias etiam triſtes ſenſationes progignit; nam dolorem & grauita

Auic. 1. 4. trat. 4 cap. 7.

Raſis. 30. Continent.

Auic. loco citat.

uita

uitatem: punctionem in capite: in gutture: in ſau cibus: in pectore, & in membris faciei; pruritum in naſo, ſenſum uero grauitatis in uniuerſo corpo re producit. Sic Auicenna, & Raſis fere omnia il la ſigna futurorum uariolarum indiſcriminatim recenſent. Quandoq; (inquit Auicenna) præce- dunt apparitionem uariolarum, dolor dorſi: pruri tus naſi: & punctio uehemens in membris faciei: & grauitas communis: & grauitas capitis, & do- lor: & dolor in gutture, & in pectore. In uiſu quoq;, & in auditu uitia apparere ſolent, nam & oculi caligant, & lacrymis abbundant: & aures ob murmurationibus, & tinnitibus ſolent moleſtari: Quin & interni ſenſus huius futuri mali argumē ta dabunt: nam dicit Auicenna, quod quibus fu- turi ſunt variolæ his ſomni pleni tinitus ſunt, & turbati ad mæſtitiam. & Auenzoar ſcribit contin gere in his mentis alienationem & deliria. Que- madmodum autem animalis facultas his nomini qus afficitur: ſic & uitalis, & naturalis male ſe ha- bere ſolet. nam in uitali facultate pulſus ueluti oppreſſi apparent: & cor palpitat. in naturali, deiicitur appetitus, ſitiſq; moleſtat: unde dicebat Auicenna. exiccari os in iis, quibus futuri ſunt ua riolæ, & morbilli. Vrinę pro humoris facturi variolas uarietate, & pro modo ebullitionis, à na turali ſtatu mutantur. Hæc de facultatibus. Quod uero attinet ad qualitates mutatas, primus ſeſe offert color faciei, oculorum, & totius corporis; nam & oculi, facieſq; in primis, & uniuerſa corpo ris externi regio rubro quodam præter naturali co lore afficitur, mox alices apparent (ut Raſis, & A- uicenna dicunt) ſunt autem alices maculæ quæ- dam rubrę, uel potius quoddam ueluti rudimen-

Auic. lib. & ca. cit.

Auenzoar li. 2. tr. 7. c. 3.

tum

tum harum macularum. His accedit mutatio vo cis ad raucedinem quandam inſolitam: cum .n. uapores uarii,& ad ambitum corporis ferantur ſanguini admiſti: adhæc & attingant etiam ipſam laryngem,aſperamq; arteriam, hinc quidem uocis,inde uero coloris mutationem contingere neceſſe eſt. Sed & alia qualitatis mutatio apparet effatu digna in totius corporis præternaturali cali ditate, ſiquidem iam febris eſpreſſe urgere incipit,& non uulgari calore corpus uniuerſum afficitur. Poſtrema ſunt excrementa, quæ excernun tur,à quibus futuri mali argumenta deſumes. Inter hæc autem notat Auicenna ſtatim obſeruari la chrymas ex oculis manantes, & ſputorum mutationem ad quandam craſſitiem. Quod ſi his omni bus inditiis addatur publica conſtitutio horum malorum uigens, non erit amplius dubitandum de futuris uariolis. & eſt ſignum hoc, quod Galenus deſumit,ab Archigene in febribus futuris præ cognoſcendis. Itaq; ſi nobis occurrat æger antedictis Symptomatis affectus, & febre continua, tempore etiam quo uagari tale genus luis ſoleat, certe niſi homo ſit admodum inſulſus, & imperitus, non poterit in futuris uariolis prædicendis, multopere aberrare. Quod ſi non publice uagentur hę affectiones; extent tamen uel omnia uel plurima ex antedictis inditiis,non propterea uere ri medicum oportebit ſuam libere ſententiam de imminenti malo pronunciare, nam quæ prędictiones fiunt morborum quo tempore illi minus expectantur, magnam illæ laudem conſueuerunt prædicentibus afferre. ſic ergo ſe habent ſigna im minentium uariolarum,& morbillorum. At præ ſentes uariolas, & morbillos non multo negotio

Gal. li. illo de Criſybus.

cogno-

cognoſcimus. Ex iis enim, quæ à nobis ſunt de nomine, atq; natura iſtarum, affectionem tradita, nemo tam talpa fuerit, qui hæc mala diſtinctiſſime non cognoſcat. Illud potius conſiderare medicũ oportebit, appareant ne uariolæ, & morbilli per modum ebullitionis ſecernentis ſanguinis menſtrui inquinamentum: an per modum corruptionis ſanguinis in venis geniti, nam hoc ad curationem, & ad præſagia maxime conducet. Hoc autem non erit difficile animaduertere, ſi medicus ad memoriam reuocabit uariolas, & morbillos, qui fiunt ad inquinamenta menſtrui ſenguinis expurganda, ut plurimum corripere infantes, pueros, adoleſcentes: eſſe cum pulſuum magnitudine: facere accidentia, quæ conſequantur potius copiam, & abundantiam illius inquinamenti, quam malignam aliquam qualitatem: iis etiam, qui bonis ſuccis nutriti ſunt. Contra uero rem ſe habere de aliis, qui ſolent etiam num grandiores, & ætate prouectiores adoriri: qui, ut plurimum, cum uirium imbecillitate fatigant, ut propter hanc cauſſam illorum ægrotantium pulſus humiles, & exilles ſint: qui cum argumentis malignę qualitatis apparent: qui malam tandem uiuendi rationem, ſuccorumq; prauitatem præcedentem habuerunt; Porrò fiant ne variolæ, & morbilli ab hoc uel ab illo humore, perdiſces per inditia cuiq; humori conſentanea.

De

De ſignis Prognoſticis Variolarum & Morbillorum. Cap. XX.

PRognoſtica in uariolis, & morbillis deſumimus, à genere: à ſubiecta materia; à cauſſa effectrice: à modo eruptionis: à ſymptomatibus. A genere quidem, nam uariolæ lati ſunt peiores acuminatis: multi ſunt peiores paucis, duri peiores mollibus: liuidi, nigri, uirides, luridi, peiores rubris, & albicantibus. Peſſimi variolę ſi multi, magni, lati, connexi, itaut per modum corii uniuerſum corpus præhendant, & liuidi, uel uiolacei, uel nigricantes. tales enim letales ſunt, atq; ego, qui inumeros uidi correptos nigris, magnis, & connexis uariolis, neminem ſeruatum uidi, præter puellum quendam nobilem Patauinum: & alium nobilem puerum Vtinenſem: qui ambo inſtar miraculi à me obſeruati ſunt. A ſubiecta autem materia prognoſticum capimus, eo quod uariolę, qui uiſcerum cutem afficiunt mali ſunt, & eo peiores, quo nobiliora uiſcera præhendere uidentur. ſimilirer & peiores ſunt, qui multum cutis excauant: qui profundam cutem dilaniant; qui in oculos ſęuiunt; in fauces: in guttur. Tutiores, qui externam, & externam tantum cutem obſident, neq; multum profunda ulcera, dum abſedunt, faciunt. A cauſſa effectrice Prognoſtica sūt: quod uariolæ, qui à maligno cæli ſtatu; à malignis ſimul, & multis ſuccis; qui ebullitione corruptiua generantur mali ſunt, meliores, qui copiam moderatam inquinati ſanguinis menſtrui ſequuntur; qui carent malignitate; qui ſtatum cæli malignum non habent: qui ebullitione perfectiua fiunt. mali variolæ, mali morbilli ſunt, qui ab humoribus, uel ichoribus melancholicis, erugineiſq;

Auic. lib. Cit. ca. 9. & cap. 6.

gineisq; fiunt; atq; alias huius ordinis humorum prauitates ſequi uidentur. Meliores, qui à ſanguineo humore, quiq; ab humore benigno aliquo tenui ortum trahunt, neq; ualde copioſo. A modo eruptionis, cognoſcimus uariolas ſalutares; ſi cum moderata febre erumpant tempore oportuno: vt ante quartam uel omnino in qua ita: ſi ſint cum ęgrotātiū tolerantia: ſi exeant æqualiter, neque retrocedant amplius ſed bene procedant: quod maxime expedit ad, notare, nam Auicenna, & omnes Arabes, quod nos quoq; experientia obſeruauimus, notant uariolarum, & morbillorum retroceſſionem ſubitam mortem attuliſſe & Schenchius huius rei non uulgaria exempla nobis ante oculos proponit, quæ hanc ueritatem teſtentur. vnde optime Auicenna inter ſigna ſalutaria variolarum ponit, celerem egresſionem, apparitionem, & maturationem: quemadmodum contra (inquit) qui occultatur eſt malus, ſyncopem, & mortem ſubito afferens. Sed ſymptomata in uariolis, & morbillis, tibi exitum facile etiam commonſtrabunt: Nam deliria, anxietates, iactationes, virium imbecillitas malum exitum pollicentur. quin& Reſpiratio magnam, bonāq; partem, huius iuditii docebit: nam inquit Auicēna quod illud, quod maxime conſiderate oportet in uariolis, eſt anhelitus, & vox, nam ſi hæc duo bene ſe habeant bene ſperandum: ſi uero cadat uox, & anhelitus difficilis quotidie magis reddatur, ità ut ſequatur uocis caſus, exiſtimandus erit caſus uirtutis, & apposſtema diaphragmatis, cui ſuccedit mors, quam eſſe in limine pręnunciabis, cum Auicenna, ſi his ſymptomatibus animaduertes ſuccedere ſitim uehementiorem; & majorem

Auic. loco citato Cap. 9. & 6.

Schenchius loc. cit.

ſpiritus anguſtiam: & infrigidationem partium extremarum: & affici uariolas colore uiridi, uel violaceo: cum antea illum colorem etiam nō haberent. Vt plurimum uero, notat Auicenna, interire affectos variolis letalibus, vel ſyncope: uel angina: uel inteſtinorum deraſione, ſanguinisq; excretione, modo per ſeceſſum, modo per lotiū: ſic enim maligni uariolæ corrumpunt, & exedūt uaſa uiſcerum illorum, & mortem inferunt. Itaq; ſi variolis, ſuccedat ſanguinis excretio per ſeceſſum, aut per penem, iudicandum erit letales eſse uariolas illos, & ægrum moriturum. Cæterum ſi conualeſcant à uariolis, & morbillis ægrotantes, non tamen illico ſemper integram ad ſanitatem reuertuntur, ſed in nonnullis remanent mala grauia, & prope dixerim indelibilia. Nam aliqui uno, uel altero oculo capti uiſione deinde laborant: uel propter maculam: uel propter cicatricem ab iiſdem ulceratis in oculo factam. Aliquibus ſuperſtes remanet difficultas anhelitus, & ἆσμα ſeu ſuſpirioſa reſpiratio. Aliquibus tremor manuum, aut alterius membri. Aliquibus facies adeo deturpata, & defędata vt vix, tanquam illi non eſſent qui erant antea, cognoſci poſſint. Hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribimus, conſultationē habuimus pro perilluſtri, & lectiſſimo quodam Iuuene feroiulienſi, qui poſtquam paſſus fuit in pueritiæ initio uariolas ſatis ſæuos, laborauit per interpoſita quædam interualla difficili reſpiratione, quæ ad ἆσμα & ad ὀρθόπνοιαν tandem deuenerat, cuius curationem ipſe habui. In Syria curaui Lygurum quendam mercatorem, qui à uariolis tremorē crurum ſemper deinde paſſus eſt, Scio alios paſſos eſſe urinæ ſtillicidium: alios (ut dixi)

Auic. lib. cit. c. 6. in fine.

alia mala. Quæ libenter ſcribo, ut medici, quibus demandatur curatio eorum, qui uariolas patiuntur, bene æſtiment in quam nam partem corporis maiorem impetum faciant variolæ: quæ ſymptomata inuehant: quod malum maius portendant: nam dum hęc bene præuidebunt poterunt facile ita remediis obſiſtere, ut illos etiam declinent, atq; deuitent: Id uero erit & pium & honorificum non modo ęgrotantibus, ſed ipſis etiã aſſidentibus ſignificare, ut inde ſe paratiores remediis proponendis exhibeant: atq; hæc breuiter de Prognoſticis in Variolis, & morbillis dicta ſatis eſſe uolumus.

Methodus Curatiua in Variolis, & Morbillis. Cap. XXI.

PRimam curationis partem ad methodum curatricem pertinere uolumus. Methodus porrò omnis indicationibus perficitur; Indicationes uero à tribus ſumuntur, morbo, morbi cauſſa & facultatibus ſeu viribus, quemadmodum à Galeno traditum eſt; In uariolarum ergo, morbillorumq; curatione has tres Indicationum differentias eliciemus: Et primum quidem ad morbos quod attinet, ſi de puſtulis ſermo ſit iam neminem latere puto, in his puſtulis unicum morbum ex uſu artis conſiderari, intemperiem ſcilicet calidam, & humidam, poſteaquam hac intemperie potiſſimum cutis coctionem & deprauant, & labefactant. reliqui autem morbi, in denſitate, in raritate, aſperitate, ſoluta contiguitate, & continuitate (uti dictum eſt) nihil prorſus utile indicant, quia ad cauſſæ ablationem illico deliteſcunt; quod profecto cum uideam à clariſſimis quibuſdam recen- *Gal. li. 9. meth. c. 6. & c. 14.*

tioribus conceſſum, inuenire cauſſam non poſsũ, quamobrem iidem uiri præcipui illas in definitione uariolarum accipiendas non modo uoluerint, ſed præceperint, & uere acceperint; nam ſi ex uſu artis non ſunt, cur ab illis in medica definitione illa comprehendantur neſcio; quod ſi de totius corporis morbo ſebre ſcilicet ipſa loquamur, iam conſtat illam refrigerantia primũ, mox conſecutione quadam humectantia indicare; atq; quoniam hanc ſebrem ſuppoſuimus putridam; putredinem autem ab obſtructione foueri, & fieri conſtet, orietur hæc alia vtilis indicatio aperiendi obſtructiones, vt inde putredo deliteſcat. atq; hæ indicationes à morbis ſumi ſolent. Ad cauſſam verò quod attinet, potior cauſſa ex vſu artis materia ſanguinea ebulliens, ſeu putreſcens eſt; hæc dupliciter conſiderari poteſt. primo quatenus iam putrefacta eſt, & propriam naturam amiſit, quo in caſu indicantur eradicantia illam, eamq; radicitus euellentia. Secundo verò quatenus putreſcere poteſt quo in caſu ea indicãtur, quæ arceant hanc efferueſcentiam qualia certe reffrigerantia, & moderate ſiccantia fuerint. Et quoniam hæc materia prauis motibus habet impetum uitioſum, & malum in membra, & uiſcera propterea auertenda omnino ab illis erit, & ad laudabiliorem motum, uel certe etiã ad quietem erit conuertenda. ſic à corde, à faucibus, à pulmonibus, à capite, à veſica, ab inteſtinis; erit in externam cutem pertrahenda, ac reuocanda. Succedunt uitalia indicata, quę duplicia fuerint, priora, ratione virium uniuerſum, corpus gubernantium, & pręcipue illarum, quę in corde ſuam habent ſedem. Secunda uero, quæ partium affe

ctarum proprietati proſpicient. Qua tamen in re quoniam afficitur cutis quę inter alias partes ignobiles corporis adnumeratur; conſiderandū quid circa illam agendum ſit. Profectò ſi de cute uniuerſim quæ totum ueſtit corpus ſermo eſt faciendus, non modo non indicantur remedia, quæ ab illa repellant malam fluxionem, aut quæ inſtituant, & tueantur illam, uerum etiam, ea, quæ potius (uti dictum eſt) in ipſam proliciant, & trahant. Si uerò de cuti uiſcerum ſit ſermo, facere non poſſumus, quin tentemus illam ſeorſum roborare, atq; ne recipiat cauere. quamobrem Arabes, & in primis Auic. ſemper ſubaſtringentia medicamentis internis admiſcēt, quorum ope uiſcera defendi caueriq; poſſint, ad hunc uſum, quoniam oculi magnopere periclitari ſolent, probantur ocularia uocata, quæ tunicarum, & totius oculi proprietatem defendant; ſic & pectoralia, & alia, quæ viſcerum unumquodq; particuli optione reſpiciant. His ergo indicationibus omnino methodus curatrix variolarum, & morbillorum perficietur.

Auic. lib. cit. cap. 10.

Materia Chirurgica in Variolis, & Morbillis.
Cap. XXII.

Methodo curatrici ſuccedere tanquam ſecundam curationes partem materias præſidiorum par eſt. Materiæ porrò medicamentorum à triplici fonte deſumuntur. Chirurgico; Parmaceutico: Dietetico. His omnibus priorem facere chirurgicum uſus obtinuit. Quare & nos quoq; circa hunc fontem prius diuagabimur. Cum autem pleraq; chirurgica remedia ſint, in præſenti autem de uariolis argumento, potiora ea uideantur,

Hippocr. Gal. Celſus.

quæ ad ſanguinis miſſionem attinent, præſtat de
his ante reliqua ſermonem habere. Ac in gene-
re quidem, illud ſcribimus cum Auicenna, om-
nibuſq; Arabibus, quod etiam conſentaneum
eſt illi doctrinę, quam cum in ſcholis, tum aliis
noſtris in ſcriptis tradidimus, Non modo in ua-
riolis, morbilliſq; Verum etiam in alio quocũq;
affectu ſanguinem eſſe detrahendum, ſi adſint
ſcopi, qui deſiderantur in huius pręſidii admini
ſtratione, ut ſcilicet affectus qui curandus eſt cũ
opus habeat remedio, tum uero habeat eum ſan-
guinis fauorem, vt ſine ſanguinis detractione cu-
rari dogmatice, apteq; non poſſit. quamobrem,
ſeorſum in variolis, & morbillis, illi fuerint ex uſu
artis, hoc eſt ex illorum genere qui medicam ma
num omnino deſiderent, qui ſola naturæ ope ſa-
nari, vinciq; non poſſint & præterea ſint cum ſan
guinis redundantia, perpetuo tamen obſeruato
ſcopo à viribus, licebit, immo præſtabit ſan-
guinem mittere, quam non mittere. Verum
quoniam ſanguinis detractio multis modis
obitur, hirudinibus, cucurbitulis, ſcarificatio
ne malleolorum (quod tamen genus remedii
ualde doloroſum eſt, & nuſquam optandum) &
tandem venæ ſectione in cubito. Videndum eſt
quo nam genere remedii ſanguinem euacuan-
tis uti expediat. Profecto cum ſanguinis miſſio
per uenam ſectam in cubito ſit magnorum reme-
diorum genere comprehenſa: magnum autem re
medium circa ſanguinem, non poſſit ab alio indi
cari quam à magno affectu uel pręſenti, uel imi-
nente: qui uel à ſanguine ortum trahat, uel à ſã
guine foueatur; neceſſarium eſt ſi in uariolis, mor
billiſq; mitti debeat ſanguis, ut uariolæ, & morbil

li; ſint ex illorum ordine, qui non modo ex uſu ar tis ſint: verum etiam uehementiam, ſeu magnitudinem uel prçſentem, uel imminentem, retineant: ſecus non eſſet opus de ſanguinis miſſione per venam ſectam cogitare: quemadmodum cõtra; ſi variolæ morbilliq; fuerint ex illorum ordine, qui & ex uſu artis ſint & magnitudinem he autem & à ſanguine vel fiant, uel foueantur, præſenti uirium tolerantia, nemo eſſe in arte exercitatus debebit, qui ad ſanguinis detractionem per ſectam uenam prompte non ueniat. Quantitas uerò ſanguinis fuerit non modo pro ſanguinis abundantia ſed pro ea uirium etiam tolerantia, quam & ætas, & facultatum robur, & anni tempus, & alia oſtendunt. nam ſi exquiſitam illam quantitatem ſanguinis, quam ueteres corylæ mẽſura definiebant, educere pro ſanguinis redundãtia, morbiq; magnitudine expedire uideatur, nõ erit id faciendum, ſine ætate idonea ultra annum decimum quartum prouecta: ſine uirium illius ordinis tolerantia, quæ potis ſit tantam euacuationem, & in præſentia, & in futurum perferre; & ſic de maiori euacuatione dicendum: quod ſi nõ exquiſitam eam ſanguinis copiam, ſed moderatiorem atq; minorem educere magis uideatur ex uſu, iam ſufficiet ætas infra annum decimum quartum conſtituta, & uires aliarum ætatum, etiam ſi non adeo ualidę, atq; robuſtæ, quæ tamen imbecilliores vſque quaq;, aut deiectæ, non fuerint. Tempus huius ſanguinis per venam ſectam detractioni idoneum, opportunumue ſit cum Hippocrate morbi principium, etiam ſi in ipſo morbi principio uariolæ morbilliue appareant: tunc enim & vires ualidæ ſunt, & non dum putre- *Hipp. l. 2. aphoriſmorum t. c. 29.*

do

latè effuſa eſt, ſed & illi pabulum ſubtrahimus, & naturam exoneramus: illam ne vlterius magis ſæuiat prohibemus: hanc ut melius reliquias poſſit expellere, & concoquere iuuamus. Sic conſulit Auicenna: ſic Raſis: quanquam neq; Auenzoar, neq; Halyabas ullam faciant mentionem de ſanguinis miſsione in hac cura, pharmaceutico fonti verè nimis addicti. Aetius tamen in cura illarum puſtularum, quas diximus apte poſse deſcribi natura uariolarum, ſanguinem perſectam uenā mittit. Vſus uero, atq; experientia docuit huius ordinis ægrotantes uenæ ſectione opportune, atq; ex arte adminiſtrata iuuatos eſſe. At hoc loco magna æmophouorum, & chryſippeorum turba aduerſus hanc ſententiam inſurgit, admonens apparentibus uariolis nō eſſe ex vſu ſanguinem per ſectam uenam euacuare. & rationem omnium maximam eam afferunt, quod natura in variolis ſolita eſt per cutem hanc materiam expellere, & quod ſatius eſt hunc motum, hunc morem, hunc conatum naturę expellendi ad cutem, & mouentibus materiam ad cutem medicaminibus: & ſeorſum cucurbitulis ſcarificatis ipſa in cute; iuuare, quam venæ ſectione ferè illi obſiſtere, & retrahere ad uiſcera materiam ipſam. Equidem primo intuitu perſpicio huius argumenti modulum poſſe medicis imponere, qui reformidantes hanc retroceſsionem uariolarum in viſcera, ipſam quoq; ſanguinis miſſionem per uenam ſectam reſformidant: atq; uere ſi inconſulto ad uenam ſecandam in variolis, morbilliſq; accederemus, neq; ſanguinis copiam uenas, & uiſcera grauantem, atq; in illis ebullientem, efferueſcentemq; expectaremus, utiq; prohiberi uenæ ſectio poſ-

ſet

Auic.& Raſ. loc.cit.

Aetius lib.5. Cap.130.

ſet tanquam ea,quæ ad inopiam, atq; inamitionem redactis uenis,eſſe in cauſſa poſſet, ut maioribus à minoribus, & his rurſum ab aliis in cutẽ uſq; deſinentibus pro egeſtatis,atq; inopiæ ratione materias ſucceſſiue trahentibus,ſuccederet tãdem in uiſcera peccantis, iamq; ad cutem propulſę materiæ reuocatio,atq; retractio: Nũc quoniam non deuenimus ad ſanguinis miſsionem per uenám cubiti ſectam niſi ea adſit redundantia,quæ naturam potius impediat ne libere expellat: quæ uiſceribus,illorumq; calori incommoda ſit,euenit ut hoc nomine,non modo non expectãdum ſit malum aliquod ex uenæ ſectione,ratione retroceſsionis: ſed potius ſperandum certoq; expectandum commodum facilioris, & felicioris expulſionis. Atq; hæc reſponſio ſine dubio eſt & rationi,& experientiæ conſentanea,quæ tamẽ adhuc illuſtrior apparebit, ſi quandam præmittamus diſtinctionem, ſuperius allatis fundamentis reſpondentem. Diximus enim ſupra,quò loco de ſanguinis ebullientis minera ſermonem haberemus, duplici in noſtri corporis regione huius ebullientis materiæ ſedem, mineramq; eſſe conſueuiſſe. primum quidem,& ut plurimum in uenis magnis,uel certe communibus: ſecundo uero in ambitu corporis. Ergo ſi de mittendo ſanguine ad uariolarum, morbillorumq; curationẽ ſermo ſit faciendus, ubi minera ebullitionis eſt in ambitu corporis,erit forte illud uerum, quod iſti nobis indiſcriminatin obiiciunt, imminere ſcilicet periculum,ne ebulliens in ambitu corporis materia,ope uenæ ſectionis remeet in inanitas uenas, atq; hoc nomine uiſcera ipſa ſubeat non contemnendo,immo uero perſpicuo, ineuitabi-

Gal.l.4.de tuenda ual.cap.vlt.

O liq;

liq; vitæ diſcrimine. ſic Galenus in laſſitudine, phlegmonoſa ſanguinis miſſionem per uenam ſectam ſcribit eſſe in cauſſa ut humores qui extra uenas erant propulſi, remeent in venas. Contrariam his tractionem à centro in uenas, & inde in ambitum corporis fieri docuit Galenus, ſi inaniantur ſanguinis miſſione venæ corporis quo tempore in primis uiis crudi prauiq; humores congeſti ſint, tunc enim conſueuiſſe (inquit) ab inanitis uenis attrahi humores illos e primis uiis, & in totum corpus rapi. Itaq; ſi ſedes, & minera ebullie̅tis, feruеſcentiſq; ſanguinis in carnibus fuerit, ſeu (uti dicitur) in corporis totius ambitu, præſtabit inedia primum, blandiſq; ſubductionibus alui, uias ſi opus fuerit illas primas, & venas omnes moderate inanire: mox per cutaneas regiones ſanguinem cucurbitulis educere, quam ſtatim à principio ſanguine per ſectam uenam euacuato, periculum afferre, ne ſanguis, in ambitu corporis ebulliens trahatur in uenas, & non amplius ad externam cutem: ſed ad uiſcera ipſa mali labes pertrahatur. Cæterum ſi minera mali, focus ebullientis ſanguinis ſint uenæ, præſentibus antedictis ſcopis, longe cõſultius credimus per uenam ſectam (uti dictum eſt) ſanguinis detractionem moliri. Porrò, & ſi hæc omnia bene determinata ſunt, quæret tamen forte medicus, de loco, ex quo mitti ſanguis per uenam ſectam debeat. nam aliquã do uſui eſſe poterit ſanguinis miſſio per uenas brachii ſectas: aliquando, per uenas frontis, aliquando per aliam aliquam corporis regionem: hac in re ita Galenus ſcribebat. Porrò æſtimare diligenter oportet, qui ſanguinem ſunt miſſuri, in thorace ne, dorſo, lumbiſq; tenſio, pungenſq;

Gal. lib. 4. de ſanit. Tuenda. c. x

Gal. 4. de tuenda ſal. cap. 5.

Gal. 4. de Sanit. tuenda cap. x.

dolor

„ dolor figatur (legere enim placet magis *νυγματώ-*
„ *δης*, hoc eſt pungẽs, ut uere græcus codex habet,
„ quam *σφυγματώδης* hoc eſt pulſans vt praue à
„ quibuſdam interpretibus expoſitum uideo) an
„ in capite potius, & collo. His enim affectis hu-
„ meralem uenam diuides, maxime ſi repletum ca
„ put, & calidum ſentiunt: illis uero internam. Si
„ uero omnino æquabiliter laſcitudo corpus occu
pat, ambarum mediam. Quod enim Galenus de loco à quo ſanguis detrahi debet in laſſitudine illa ſcribit, nos ad ſanguinis detractionem in uariolis, morbillisq; transferamus: locum ſcilicet mineræ, nos docere locum, ex quo ſanguis detrahi debeat: ſi enim in uenis communibus, aut certe magnis illa ſit, iam præſtabit ſanguinem ex interna brachii quam baſilicam, ſeu Iecorariam uocant detrahere: hæc enim celerrime multum ſanguinis ex uiſceribus educit, quemadmodum ab Hippocrate & à Galeno notatum eſt. quod ſi quiſpiam occurrat, qui uel propter ætatem: vel propter aliquam aliam uirium imbecillitatem: uel quia nolit omnino, ineptus ſit uenæ ſectioni, cucurbiculæ infra lumbos ſcarificatæ uices remedii illius gerent, & quadantenus indicationi ſatisfacient, potiſſimum in iis, qui prædenſum habitum non habent, & expiles ſeu glabri, & candidi ſunt, in his enim Galenus utiliſſimam quoq; futuram malleolorum ſcarificationem pro qua nos cucurbitulas ſcarificatas adhibemus docuit. Cæterum ſi præter mineram antedictam in locis cõmunibus, aliqua particularis quoq; corporis pars laboret, ſcateatq; redundantia ſanguinis feruentis, atq; ebullientis, utile fuerit ex eadem etiam parte, ſumpta pariter ab inhærentia materiæ in-

Hipp. & Gal. li. 4. de rat. vict. in acut. t. c. 24.

Gal. l. de cucur. ſcarif. Lirudinibus & Cyr.

dicatione, opportune euacuare . hinc Auicenna
admonebat poſſe interdum conducere ſectionē
venæ frontis. & nos uſu experientiaq; docti nõ
ſemel hyrudines poſt aures affigendas curaui-
mus , dum caput repletum multo ſanguine ani-
maduertimus: prius tamen communi euacuatio
ne(vti dictum eſt) comparata: atq; de ſanguinis
miſſione ſatis. Nunc ad aliud chirurgicum prę
ſidium, in uariolis adhibendum uenimus: Eſt au
tem hoc illud quo cum uariolarum puſtulæ per
forari ſolent : ſeu ipſamet cutis perforatio. quo
loco ſtatim quærunt iſti expediat ne uariolarum
puſtulas aliquo modo perforari . Alii enim pu
tant inſulſum, & damnoſum eſſe de uariolis per-
forandis cogitare: cum quia dolorem excitamus,
& ſic ægros à uariolarum moleſtia laceſſitos ue-
xatoſq; magis laceſſimus, & diuexamus : tum e-
tiam quia punctio eſt in cauſſa ut cicatrices tur-
pes in cute, poſt uariolas remaneant , quæ nun-
quam præterea ſaneſcant . Alii uero exiſtimant
perforationem non niſi ex uſu futuram , cum ex
ea ſanies contenta in uariolis , quæ diuturnitate
moræ poſſet cutem , & ſubiectam carnem altius
excauare, & ſic non modo turpia , uerum etiam
horribilia ueſtigia deformeſq; cicatrices nunquã
deinde ſanabiles relinquere, quæq; niſi expurge-
tur punctione, poſſet ad uiſcera retrocedere & ſic
mortem ſubitam , quo tempore illa minus expe-
ctatur, comportare: cito, & ſine ullo incommo
do educi, euocariq; ſoleat. Itaq; uideas in pueris,
& potiſſimum in puellis, & uirginibus quotidie
inter medicos decertari, utrum præſtet pungere:
uel non has puſtulas: neq; adhunc litem direm-
ptam uolunt. Equidem unum quenq; credo op-

De Punctione, ſeu Perforatione Variolarum.

time

time obſeruaſſe, quæ, & quales turpitudines, quæ, & quales defædationes faciei, & cutis à uariolis relinquantur. Interdum enim feminę tantam fæditatem: tam horribilem faciem ex uariolis reportarunt, vt monſtra, & portenta, ſpectraq; horribilia hominibus euaſerint, ipſæq; aliorum intuitum fugere coactæ fuerint. Hoc tamen & punctis & non punctis uariolis contigiſſe obſeruatū eſt. Sed non ſemper tale genus deformitatis variolæ relinquunt: quin aliquos uidimus, qui & ſi uariolas ſatis ſæuas paſſi ſunt, nullum tamen ueſtigium: nullam cicatricem in cute retinuerunt; cum alioquin illis punctos uariolas fuiſſe ſciamus. Quid igitur reffert hoc diſſidium? Ad quid tanta contentio? Profecto, credo ſatius longe eſſe Auicennæ conſilium ſectari, & pungere uariolas, quam non pungere. Sed tempus illud ad hoc moliendum expectandum eſt, quod ipſe Auicenna opportuniſſimum iudicat: uariolarum nimirum ſuppurationem. neq; enim uel crudis, ac duris uariolis hoc faciendum. neq; in morbillis unquam tentandum, cum morbilli inſenſibili halitu ſolui ſoleant, ſed in variolis tunc cum iam ſuppurati ſunt, & ſaniem intus habent. Tunc ergo quod nam malum expunctione ſequatur non uideo: ſubſequi autem commodum certisſimū, exploratisſimumq; eſt. non ſubſequi malum ullum inde patet, nam & ſi iſti afferant dolorem, & uexationem ipſorum affectorum: & ſimul adducant turpitudinem, quam dicunt relinqui in parte perſorata, quod tamen ad dolorem, uexationemq; attinet, ſi perſoratio fiat iam pure exiſtente in uariolis, nullam moleſtiam ſentient ægrotātes ex punctione: quod uero pertinet ad turpitu-

dinem,

dinem, fatuum eſt putare maiorem turpitudinē ſuccedere ab arte factę punctioni epidermidis, quam excauationi cutis, ab humore acri ac purulento inductę: cum ergo incommodum, aliquod non ſubſequatur: ſequantur autem commoda, & quod euacuetur pus, cuius retroceſſio in uenas & in uentrem poſſet mortem inferre: & quod prohibeatur effatu digna excauatio cutis, & fortaſſe etiam carnis, ſed in primis cutis, quæ reparari propterea nunquam poteſt, facienda omnino punctio fuerit, neq; unquam (ubi occaſio exigat) omittenda. Sed quo inſtrumento? Proponunt Arabes acum auream: cur autem ſic deligant aurum, non argentum, non ferrum, omnibus non eadem eſt reddita cauſſa, & ratio. non nulli dicunt aurum reliquis metallis eſſe benignius, propterea neq; adeo cutem dilacerare, neq; adeo aſtringere, atq; reliqua metalla antedicta faciunt. Sed hæ mihi uidentur fabulæ recitandæ fæminis: nam unumquodq; acutum dilacerat, & vulnera etiam gladio aureo inflicta poſſent interficere: quid etiam oportet huc afferre adſtrictionem? quod damnum ui talis cōſtrictionis accidere cuti poſſet? Mihi illorum magis probatur reſponſio qui cenſent id ab Arabibus fieri, quia cum uariolæ (vt plurimum) in pueris curentur, mitius agi cum his uidetur, aurea, quam ferrea acu: quæ aurea acus præficitur etiam argentæ, quoniam argentea non tam certò à pueris à ferrea diſtingueretur. at aurea illis placet; illos oblectat, ita ut ludere uideamur cum ipſis, dum acu illa perforationi ſtudemus. Sed pręter hæc omnia chirurgica remedia non ſunt ullo pacto dimittendæ, blandæ frictiones partibus infernis,

Auic. loco cit. & Serap. lib. 6. ca. 12.

Facienda, eſt in Variolis punctis.

potiſſi-

potiſſimum ſi materia repere in caput uideatur: nam ſic ad ignobilia membra pertrahetur: prę ter quam quod à centro ad circunferentiam aliqua ex parte etiam reuocabitur. quod adhuc magis præſtant cucurbitulæ modo ſcarificatæ (uti dictum eſt) modo appoſitæ frequenter ſine ſcarificatione, quæ ſane in materia ſegniter erumpente erunt repetendę ſępe, & ſæpius, ut illa felicius, & uberius effloreſcat. Hactenus de chirurgica materia in uariolis, & morbillis ſit dictum, nunc ad Pharmaceuticam ueniendum, in qua ex more etiam laute uerſabimur.

De Pharmaceutica Materia in Variolis, & Morbillis. Cap. XXIII.

QVinque medicamentorum genera in curatione hac uidentur omnino locum habere. Lenientia ſcilicet. Præparantia, Purgantia. Ad cutem mouentia. Roborantia: cum enim hoc malũ fiat à materia quacunque (uti dictum eſt) non modo illi auxilium fuerit ſanguinis detractio, ubi uel fiunt uel fouentur a ſanguine, uti ſupra diximus; aut euacuatio materię puſtulas cõtinenter facientis, per punctionem de qua etiam locuti fuimus ſed requiretur neceſſario euacuatio illorum humorum, qui & diſpoſiti ſunt ut ebullire poſſint & qui ebulliunt & qui iam ad conſumatam mutationem deuenerunt, quam ſane euacuationem molientur ad cutem mouentia, & aliis modis euacuantia. Auſpicemur igitur à Lenientibus: de reliquis ſingillatim dicturi.

redenſq; propterea apta ad ſuſcipiendam à toto materiam, quod alioquin idem Auenzoar improbat non modo eo nomine, uerum etiam ut dulce, & ſingillatim in morbillis, in quibus ad longū docet, & obteſtatur dulcia omnia eſſe cauenda tanquam ualde noxia. ſi fiat namque ſermo de leniente non adeo dulci, & non adeo laxante, & humido, & potisſimum in uariolis, ille forte non detractabit illud adhibere. Minus etiam debemus æſtimare locum Hippocratis, cum ad rem pręſentem, ille non faciat, loquitur namq; Diuinus ille uir de his, quæ integre iudicata ſunt: uel de his, quæ à natura ſufficienter, & quantum par eſt iudicante ad criſim deducuntur, in quibus nos quoq; quancunq; motionem ſuſpectam habemus, quietem, & vacationem à quocunq; opere conſulentes. Laudantur igitur Lenientia, ſed nō omnia, illa nimirum ſola, quæ ita laxantia non ſint, ut inteſtina, & uias primas iecoris non afficiant laxitate, atq; in illis non gignant quandam facilitatem, atq; propenſionem ad recipiendam à toto corpore peccantem, feruefcentemq; materiam. quamobrem Auicenna, qui Lenientia commodat, probat non caſſiam (ut quidam ſcribunt) ſed mannam. quamuis & casſia eſſet laudanda, cum tamarindis, & iuiubis: hoc ſcilicet conſilio, ut ratione mannæ ſubducatur aluus, ratione uirtutis ſubſtipticæ tamarindorum inteſtina in ſuo tono conſeruentur, neq; à manna effeta reddantur. ratione iuiubarum, materiæ, quæ euacuantur non moueantur motu ualde præcipiti,ità vt raptum capiant ad inteſtina, ſed quadantenus craſſefactę à facultatibus emplaſticis iuiubarum, moderatioribus motibus ferantur, & tutius expurgē

tur . Proponit pariter Auicenna Mannam cum nonnullis aliis,quæ ui ſtiptica præſtant,ut dactylorum carne , & prunis,quæ Tereniabin & Siracoſt permiſcet. ſunt autem Tereniabim,& Siracoſt ſpecies , ſeu differentiæ quædam mellis aerei,ſeu mannæ, quemadmodum alibi à me eſt traditum:uocantq; Arabes hoc noſtro tempore corrupto uocabulo Terengibil , quandam mannæ differentiam dulcisſimam. Sint ergo Lenientia medicamenta quę per os ſumpta uentriculum ſimul & primas vias omnes remundent,& quadantenus feruori obſiſtant antedicta. quorum ſi quis exemplum deſideret, adhibeat in pueris quidem infra quartum decimum , & ſupra decimũ hos bolos:

Rec. Casſiæ floris electi	Dr.vi. s.
Pulpæ Tamar.	Dr.1.
Pulpæ Iuiubarum.	Scr.ij.

fiant boli ſine ſaccaro.

vel adhibeat hanc potionem.

Recipe Mannæ Electæ.	Vnc.ij.s.
Pulpæ Tamar.	Dr.ij.

Prunor. damaſcenorum num.quattuor.

Buliant Tamarindi, & Pruna in Aqua acetoſæ , quantum ſufficit,& facta colatura diſſoluatur Mãna,& fiat potio. Augeatur autem doſis cum potionis,tum boli,ſi æger ſit grandior . Minuatur uero ſi idem ęger ſit minor. Ex his colligatur in hac curatione electarium lenitiuum, & ſyrupum de polipodio,& decoctionem cordialem cum ſena,quæ tria uideo quamplurimis medicis eſſe in curationibus febricitantium omnium ſtatim à principio familiaria,hac in uariolari, & morbillari ſebre omnino eſſe interdicenda, cum propter

uim ſenæ, defuturum non ſit periculum, ne (vt dictum eſt) materia ebulliens, in uiſcera, in uentriculum, in inteſtina trahatur, & ſic emisſio quæ expectatur, & eſſe ſalutaris ſolet, impediatur. Sed præter hoc genus lenientium, duo alia conuenire poſſunt, ſi primę Iecoris uiæ cruditatibus non laborent; ſubſit autem in aliis primis viis, uentriculo ſcilicet, & crasſis inteſtinis cruditas euacuanda. Vnde ſi uentriculus aliqua cruditate laboret, uomitoria probantur: hęc enim iudicata ſunt ab ipſa ſuperfluitate in uentriculo innatante. Sit autem uomitorium quoq; blandum, non tractorium propter rationes antea dictas : quale hoc fuerit.

Rec. Oximellis ſimpl. onc. i. s.
Iuris pulli. onc. viij.

Cuius doſis uaria ſit pro ęgrotantis ętatis uarietate. Non probanda uomitoria quæ largam affuſionem olei recipiant cum laxanda interna uiſcera non ſint. quod tamen ut Auicenna docet malum præſtat oleum, ſed (ut diximus) oximel cum Iure: uel acetum cum Iure, uel Syrupus acetoſus ſimplex cum aqua ordei, uel quid tale commendatur. Clyſteres porrò lenientes ſint, quales conficiuntur ex Iure, ſaccaro, & ſale. Vel potiores eſſent huius ordinis, In puerili ætate deligendi.

Auicenna cap. x. & Raſis loc. cit.

Recip. decocti lentium excorticatarum Vnc. viij.
Olei Violati. Vnc. iij.
Saccari rubri. Vnc. ij.
Salis par. admodum; m. pro clyſteri.

Et doſis augenda, uel diminuenda pro ętatis incremento, uel decremento. Glandes quoq; ex melle, & ſale, gerent interdum uices clyſteris. Cæterum tempus adhibendorum lenientium ſi-

PRęparantium medicamentorum uſus (me iudice) non aliò ordinari ſolet, quam in humores contumaces: & corporis uiarum anguſtiam. ſic enim iuſta Hippocratis ſententiam, corpora fluida facimus, & comparamus ad purgatiuum medicamentum recipiendum.. Itaq; ſi uariolæ, vel morbilli fiant à ſanguine bilioſo, conueniēt iuſcula alterata cum cicoraceis, ſonco, hepatica, acetoſa, cicorio. ſi à ſanguine melancholico, eadem iuſcula alterata probabuntur ex fumaria, boragine, paſſulis, uiolis, ſi à ſanguine pituitoſo, iura pariter erunt laudanda alterata ex menta, betonica, feniculo. quanquam ad ſanguinem pituitoſū quod attinet non futurum in conſultum ſit iuſculis dulcia admiſcere, ut oximel, ſirupum acetoſum ſimplicem, & alia huius ordinis: quæ dulcia, aliaue huius naturæ in aliis humoribus uariolas, morbillosq; facientibus ſumma cum ratione ab Auenzoare interdicuntur, cùm augere ſoleant materiam morbillarem, & uariolarem. „Et nunquam (inquit) uolui dare iſtis ſyrupos aliquos dulces, ne augurio, timendo, propter dulcedinē, ne conuertantur ad choleram. Et infra ſubdit. „Et pauci ſunt, qui perfecte ſciant regere hos patientes: quoniam dant eis dulcia: Præparantia igitur huius naturæ ſint. quibus addere aperientia præſtat: quare illis miſceri ſolet capillus ueneris recens: ſemina frigida maiora, & alia huius ordinis: neq; enim ualentiora deliguntur: propter illa quæ ut in cutem materiam impellant his permiſcentur: de quibus proxime dicemus.

Auenzoar lib. & cap. cit.

Auenzoar loco citato.

De

De ijs, quæ materiam in Cutem propellunt.
Cap. XXV.

POſt diem ſecundum (inquit Auicenna) & omnino ubi primum incipiunt apparere uariolæ, mitius agendum erit circa medicamenta infrigidantia, tanquam illa, quæ (uti dictum eſt) poſſunt retardare, & fortaſſe prohibere exitum ipſorum uariolarum: quare conſulit, ut infrigidantibus, & cicoraceis admiſceantur quæ aperiunt, & poſſunt in cutem propellere materiam ebullientē, atq; aperire obſtructiones. quocirca & ipſe Auicenna & Raſis conſulunt, ut admiſceantur feniculum, apium, & aliqua portio minima croci. Similiter & decoctum ficuum ab illis commēdatur, tanquam apprime utile ad expulſionem hanc iuuandam: huc quoq; ſpectant lacca: lentes excoriatę: & dragaganthi, quare præcipiunt iidē Arabes, vt omnino interdicatur his ægrotantibus uſus aquę nimis frigidæ: & niuis. & Emplaſtratio (ut ille loquitur) regioni extrinſecæ corporis. quod utiliter uideo adnotatum propter illos medicos, qui ut abundare remediorum multitudine uideantur, in unctiones inſtituunt regionibus externis cuiuſq; uiſceris, & cataplaſmata, & alia huius farinæ, quę denſant, & infarctos reddunt poros cutis, & carnium, & impediunt exitum uariolarum: Ita ut partim internorum infrigidantiū uſu: partim adminiſtratione externorum cataplaſmatum facile ſit ægros impediri, ita ut nequeant effundere ad cutim materiam ebullientem, ac feruefcentem in uenis. Iam uero ſi quis exemplum aliquod medicamenti aperientis, & diaphoretici, in uariolis utilis deſideret, his, poterit deligere aut unum, aut alterum ex his, quę proxime

Auic. lib. & cap. cit.

Raſis loco citato

de

deſcrib emus. quorum primum tale fuerit.

Recip. Laccæ dilutę. Dr.ij.
Lentium excorticatarum. Dr.iiij.
Dragaganthi. Dr.ij.

Coquantur omnia in libris quattuor aquæ donec remaneant libræ duæ : cuius unciæ quattuor porrigantur ſingulo mane ante cibum per horas quattuor. Poſſumus & aliam ſimilem potionem parare. quæ ſit talis.

Recip. ficuum pinguium. Dr.vj.
Lentium excorticatarum Dr.iij.
Laccæ Dr. ij.
Feniculi Dr.ij.s.
Dragaganthi. Dr.ij.s.

Buliant omnia in lib.ſex aquę communis, donec remaneant Vnciæ:xiiij. quarum uncias ſex ſingula uice exhibeamus, per horas quattuor ante cibum. Paratu facillimum eſſet & hoc.

Recip. paſſularum
lentium excorticatarum. Vnc. 5.
Radicum feniculi
capillorum ueneris Dra.iij.
dragaganthi. Dr.ij.

Buliant omnia in decoctione glicirizæ, caricarũ pinguium, & ordei, additis granis tribus croci in fine coctionis, & facta colatura ſeruetur pro potu; cuius doſis ſit ab unciis duabus uſq; ad uncias ſex. & quod de huius medicamenti doſis latitudine diximus, hoc ipſum dicamus quoq; de aliis, ſeruata ſemper commoderatione reſpectu ætatũ. itaut augeatur, diminuaturq; & omnino uaria fiat doſis, pro uarietate ætatis illius, cui tale medicamentum inſtituitur. Porrò poſſunt hæc omnia modo ſola, modo remiſta cicoraceis adminiſtrari, &

ri, & poſſunt cuiq; ætati, & etiam temperamento eſſe utilia, ſi modo dextro cum uſu, non promiſcue, & ſine delectu adminiſtrentur. Sunt nonnulli qui his medicamentis ſtyracem permiſcent: ac rè uera ſtyrax oportunum eſt medicamentum propulſandis humoribus à centro ad circumferentiam. Verum eſt adeo inſuaue, adeo tetrum odorem expirans, adeo malum ſaporem reddẽs, vt neſciam quomodo illud uel posſit, uel debeat admiſceri medicamentis per os aſſumendis, quæcunq; tandem illa fuerint. Laudat Auenzoar lentes decoctas in aceto tantum, quod etiam conſilium, dicit fuiſſe aliorum medicorum. ipſeq; etiam lactucas cum aceto commendat: & medullas citruli, & anguriæ, & aquam ordei, & anguriæ, ſed de his in capite de uictus ratione.

De Purgantibus Medicamentis. Cap. XXVI.

DE Purgantium medicamentorum uſu in Variolis, & morbillis digladiantur medici ſæpe inter ſe ipſos: nam ſi bene Arabum hac de re ſententias examinabimus, inueniemus illos uere dãnare hęc medicamenta purgantia, propter eam maxime cauſſam: quod purgantium medicamẽtorum energia, & tractione facile posſint uariolę retrocedere, pertracta à medicamento materia è cute ad inteſtina, & alia uiſcera. Quod ſi rationẽ ſequi recentiorum uolumus, illos inueniemus dicentes uariolarum, morbillorumq; materiam eſſe putridam: eſſeq; proinde à mineræ loco eradicandam, unde ſi fuerit biliosa, conueniens fuerit eam medicamento euacuante, & radicitus e uel lente è corpore educere: & ſimiliter de aliis affirman-

mandum. Hac tamen in difficultate ego facile me expediam ſi dixero multa eſſe indicata in methodo curatrice, quæ tamen ad actum deduci, executioniq; mandari non poſſunt, quod illorum adminiſtrationem impediant alia, quæ magis negotii faciant. Indicatur ſæpe ſanguinis miſſio, quã propter virium imbecillitatem executioni mandare nõ licet: & ſic alia plurima comperies, quæ non quemadmodum indicantur, ſic poſſunt perfici, atq; abſolui. Simili quoq; ratione res ſe habet de purgantibus medicamentis in uariolis: nã & ſi indicantur illa à præſentia materię malæ, ebullientis, & forte iam putrefactæ: non tamen illico adhibebuntur, niſi antea alia omnia peracta ſint, quæ hoc medicamentum, niſi præcedant, impediẽt. In primis fuerit aliqua coctio illius humoris. Secundo extabit materiæ purgãdæ uel quies, uel certe motus aliquis qui illius purgantis medicamenti motu, inferre cladem corpori non poſſit. vt in hoc caſu propoſito, in quo quoad variolę, erumpunt in cutem: quoad materia ebulliẽs mouetur ad cutem ipſam, non licebit illam retrahere, facturam alioqui in inteſtinis dyſenteriam, & in aliis membris, alia fortaſſe mala. Immo uero neq; tutum credimus vſum purgantis medicamenti, eo etiam tempore, quo factis iam variolis, neq; amplius fluente in cutem à minera interiori materia ipſa, in ipſis tamen variolis pus, aut ichor reperitur: nam & tunc etiam imminet periculum, ne horum ichorum, & huius purulentæ materiæ ad uiſcera retractio fiat, vnde ſequatur ſyncope (vt dicit Auicenna) & inde mors. Propter hæc omnia extant ſcriptores, qui optime cõſulunt nullo vnquam tempore variolarum con-

Auicenna loco citato.

uenire purgans medicamentum; ſed eam eſſe opportunitatem vnicam, cum iam ceſſarũt, & reſiccati ſunt variolæ: & nulla amplius ſanies in puſtulis, immo ne vlla quidem puſtula in cute animaduertitur: tunc enim (inquiunt) porrigendum omnino eſſe medicamentum purgans, humori, a quo variolę, vel morbilli facti fuerint, conſentaneum. Ego uero quemadmodum hanc ſententiam ea in parte probo, in qua tempore nullo variolarum dandum eſſe purgans medicamentum oſtenditur: propter antedictas rationes: ſic non ita indiſcriminatim, & ſimpliciter pronũciarem, ſemper tranſactis uariolis, iiſq; exiccatis præſtare medicamentum purgans porrigere: Nam credo (vt plurimum) nullam ſupereſſe occaſionem, nullam extare Indicationem, quæ ad hanc medicamenti exhibitionem medicum cogat. & ratio eſt, quoniam ſi expulſione ad cutem per puſtulas integre iudicatus eſt æger, itaut iam cõualeſcat quidnam hóc loco opus eſt purgans medicamentum porrigere? Quę enim iudicantur: rurſum quæ iudicata ſunt integre, neq; mouere, neq; nouare oportet, ſed ſinere (Inquit Hippocrates) Cum ergo hoc pacto integre iſti ſint iudicati, non eſt aliqua motio, aliqua innouatio molienda. Sed ſinendi ſunt in quiete, vt vires priſtinas redimant. Vnicum mihi videtur dari poſſe caſum, in quo fortaſſe medicamenti purgantis vſus eſſe opportunus, & vtilis poſſit. Eſt autem ille, in quo & ſi variolæ ſiccati ſint: & iam delituerint, attamen adhuc æger febricitet, adhuc extare reliquias in venis intelligatur. Eo enim in caſu, medicamentum purgans porrigere vtile, fortaſſe etiam neceſſariũ fuerit. qua tamen in re & illud quoq; conſideret

Cuiuſdam Recentioris ſententia impugnatur

Hippoc. lib. 1. aphor. 1. c. 20.

Quando ſit vtile medicamentum purgans in hoc malo porrigere.

cõſideret medicus uelim; ſubſit ne ſpes aliqua im pellẽdi eas quoq; materię portiones percutim nã ſi ſpes aliqua ſub ſit poſſe eas quoq; materiæ portiones percutim itidẽ expurgari, iã ſine dubio tẽtanda: oĩno erit hęc euacuatio, & hæc mihi erit potior medicamẽto purgante. quòd ſi non ſubſit ea ſpes qua id nos conſecuturos diiudicemus, febris tamen aliqua perſeueret, & inapetentia, & corporis impuritas: eo certe in caſu de medicamenti purgantis adminiſtratione cogitãdum. Sit autem tunc medicamentum purgans, humori reſiduo conſentaneum. Et materia illius ſit pro medici prudentia diligenter collata cum viribus ægrotantis, nam certe in fine huius ægritudinis, in quo uires omnes non poſſunt non eſſe, ſummopere fractæ, & debilitatæ, mihi non probantur medicamenta furenter educentia: ſed potius laudantur mitia & benedicta vocata, & in doſi etiam moderatiori exhibita. Immo uero ut ad ea oĩa, quę de purgantibus medicamẽtis dicẽda, sũt nihil reliqui faciamus, in horum etiam purgãtium actu debemus diligenter obſeruare quæ Auicenna, aliiq; Arabes faciunt, & vt fiant iubent: vt ſcilicet hæc purgantia permiſceamus ſubaſtringentibus, & frigefacientibus. Id uero propter eã cauſſam, ne huius putridæ materiæ reliquiæ, integris ſuis malis facultatibus ad inteſtina deueniant, alioqui niſi frangantur, & caſtigentur ſtypticis, & perfrigerantibus, dyſenteriam, aliaq; mala excitaturæ. Quocirca ſi aliquod medicamenti huius exemplum afferre pro iunioribus tutum eſt; non fuerit præter rationem, & vtilitatem, talem medicamenti materiam: talemq; modulum deſcribere.

Qualia purgantia conueniant.

Recipe Rhabarbari electi. ſc.ij.
Agarici trociſcati. drac. 5.
Schenuanti. gr.ij.

fiat inf. s. A. in ſuff. quantitate decoctionis prunorum, plantaginis, hepaticæ, acetoſæ iuiubarũ & facta colatura, & leui expreſſione adde

Recipe Syrupi roſati ſc. Vnc.ij.s.
m.f.p.b.

Ad cuius quidem exemplum, poterit medicinæ candidatus, & ſincera purgantia, & remiſta adhibere, prout hunc vel illum humorem uacuare cõſilium fuerit: ſimiliter & augere, diminuereq; doſim, prout ætas, & temperamentum, & anni tempus, & regio deſiderabunt. atq; ita quidem de medicamento purgante res ſe habet.

De Medicamentis Roborantibus.
Cap. XXVII.

Vitalia indicata eſſe dupplicia ſupra à nobis dictum eſt. Prius quod uires uniuerſales, ſeu toti corpori communes reſpicit, de quo infra loquemur capite de diæta iſtorum affectorum: ſecundum, quod uires particulares membrorum aliquorum inſtruit, atq; tuetur: Hoc uero genus indicati vitalis, quoniam cum corroborantibus coincidit, in præſenti capite titulo corroborantium, quod erat quintum prçſidium ſuprà à nobis in ordine propoſitum, abſoluemus. ſane (vti dictum ſupra fuit) externa cutis roborari non deſiderat: tanquam, quæ exigat potius ut ea remaneat, quæ admittat facilius materiam facturam peſtulas iſtas. Sed uiſcerum, interiorumue membrorum cutis ea eſt, quæ roborantia propria

pria, & particularia expoſcit: illorum etenim virtus ità inſtruenda, ut non admittat has puſtulas, itaut non modo materiam, propellamus ad cutem, ante dictis impellentibus, & diaphoreticis præſidiis; non modo eandem in cutem trahamus cucurbitulis, & frictionibus, uerum etiam interiora membra robuſtiora reddamus; vt non poſſint in ſe ipſa admittere eam materiam: & ut poſſint hoc nomine fortaſſe etiam a ſe ipſis eandem propulſare. Et quoniam à uariolis affici ſolent oculi: fauces: gutturis regio: nares. pulmones: renes; inteſtina: propterea hæc omnia membra sũt corroboranda. Eo tamen diſcrimine, quod oculi, externis, illisq; applicitis remediis roborari poterunt: nam neq; aptiorem, ueq; tutiorem habemus modum, quo illos inſtruamus: neque periculum eſt vt ex externo adhibito medicamento dãnum illis contingat. Cætera uero uiſcera internis: nullo autem modo exterius applicitis: rationem attulit Auicenna; illamq; nos ſupra attigimus. eam nimirum, quod hæc exterius admota repercuterent materiam in viſcera, & cum illa roborare ſperaremus, ipſa magis opprimeremus, ac læderemus. Quæ nam, & qualia ſint hæc medicamenta topica roborantia, quæq; ſit illorum materia, unicuiq; conſtare poteſt, qui in actu practico, & in medicamentorum proprietatibus ſit exercitatus: nam unuſquiſq; facile intelligit, quæ huic, quæq; illi corporis noſtri particulæ familiaria ſint. Exordium capiamus ab oculis: In his roborandis, & ab iniuria uariolarum tutandis multam multa utilitatem afferunt: communis omnium ſcriptorum obſeruatio eſt, aquam roſaceã in qua ſemina ſumach macerata fuerint, eſſe omnibus

nibus aliis anteferendum remedium: poterit autem hoc modo comparari.

Recipe Aquę Roſarum Vnc. iiij.
Seminum ſumach. Sc. ij.

Ligata in petia ſeu in linteo raro ſemina prius bene contuſa, & contrita, infundantur in aquæ antedictę roſatæ Vncias quattuor, & exprimantur apte & illius emulſionis guttulę ſępe, & largiter oculis inſtillentur. Sic enim mirifice oculi defenduntur ab antedictis uariolarum iniuriis. Huc ſpectant lac chalibeatum. Aqua fabrorum ærariorum. Aqua plantaginis. Albumen oui, atq; alia huius ordinis. Sed anteadeſcriptum collirium eſt rèliquis præferendum, nam omnia alia præſtantia, & facultate ſuperat. Animaduertit autem Auenzoar illud collirium eſſe adhibendum frequenter, nam ſecus nō eſſet ità vtile. Sed ſi frequenter ac ſæpe inſtilletur in oculos pręſeuabitur æger ne cadat in cæcitatem (vt ille ait) auxilio Dei. Sic Raſes: ſic Auicenna de illo quoq; ominantur. Fauces & gutturis regionem partim gargariſmatibus, partim acclegmatibus præſeruabuntur. Gargariſmatis materia fuerit ex aqua plantaginis, & ſucco granatorum, ut exempli gratia.

Auenzoar loc. cit.

Rases, & Auic. loc. cit.

Recipe Aquę plantaginis lib. ij.
Succi granatorum Vnc. ij.
m. pro gariſmate.

vel tale quoq; eſſet probandum multopere.

Recipe Aquæ acetoſæ Lib i.
Plantaginis.
Agreſtæ. Vnc. ij. s.
m. pro gargar.

Horum utrunq; quinetiam fuerit opportunum

ſi per modum linctus paulatim in gutturis regionem dilabi permittatur, quo in caſu non erit prætermittendus ſuccus mororum immaturorum, cum aqua plantaginis admiſtus, ut exempli cauſſa.

Recipe d. aquæ plantaginis lib. 5.
Succimororum immaturorum Vnc. 5.
m. pro linctu, & gargariſmate etiam.

Porrò internas narium regiones, tutabitur poſca facta cum aqua ordei & roſarum ſimul, uel etiam idem ſerum chalybeatum, Pulmones roborare ſolent lentium ſuccus cum pauaueris ſemine ſi ad formam linctus redigatur. Flores quoq; papaueris rubri, cum eodem ſucco lentium, & aqua diſtillata ex eodem flore plantaginis rubri hoc idem quoq; præſtabit. Renes tuebimur charabe, fæniculi pulueri tanquam uehiculo admiſto ut exempli gratia. Recipe charabes Dra. i.
fæniculi pul. Sc. i.
cum aqua acetoſæ, vel endiuiæ porrigatur, in doſi illius aquę ad vncias ſex. Deniq; inteſtina, & ventriculum, & Iecur, & lienem conſeruabimus, ne, afficiantur ab his malis, iiſdem medicamentis, & ſuperius adnotatis, quorum repetitionem breuitatis ſtudio dimittimus.

De Remediis puſtulis ipſis, & maculis, ac veſtigijs variolarnm adhibendis. Cap. XXVIII.

HOc loco Arabes, nec non etiam Recentiores duo præſidiorum genera ſubnectunt. Quorū alterum pertinet ad ſanandas ipſas puſtulas, quas variolas dicimus. Alterum uero ad abſtergēdas, & delendas eas maculas, ad euellenda ea ueſtigia,

gia, quæ ab ipſis uariolis relinquuntur. Sed ut ingenue fatear, utrunq; genus præſidii ego dimittendum duco. Eſt ſuperuacaneum primum genus præſidij, propterea quod (quemadmodum notabat Galenus de illius peſtilentię puſtulis) ſponte ſiccantur, & ſaneſcunt: vt propterea non ſit opus tentare remediis eas puſtulas, quæ ſponte ſua ad ſanitatem fæſtinant, Eſt uero inane, & inutile ſecundum remedii genus: eo quod veſtigia illa variolarum non admittunt curationem, cum ſanari nullo remedio unquam posſint. Et ratio eſt, quod cum ueſtigia illa ſint cum cutis excauatione, excauata autem cutis ſpermatica cum ſit reſtitui non ſoleat, fieri non poteſt ut illa ueſtigia vnquam ad ſanitatem reſtituantur. Itaq; neq; Auicennam neq; Halyabatem, neq; alios probo, qui tempus conterunt in labore, qui ad finem vnquam redigi non posſit: immo uero videntur infamare artem, illam in iis exercendo, de quorum adeptionis imposſibilitate (vt ita loquar) certi quoquo pacto ſumus. laborent propterea ea in re alii quantum velint: Ego enim libentius calamum ab hoc labore temperabo, & eā curationis laudem, eaq; curationis præmia fortunatis reliquam. Pro hac autem diſceptatione poſtremam huius curationis partem certe maiori cum vtilitate aggrediemur, in qua quidquid ad indicantia vitalia ratione uirium communiū pertinet exponemus.

Gal. lib. 5. meth. c. 12.

Auic. cap. 12. & lib. de Decoratione. Halyabas lib. 4.

De iis, quæ ad Indicatum Vitale Commune pertinent. Cap. XXIX.

ABſoluta oratione de Indicantibus Curatorio, & Præſeruatorio, ſuccedit de Vitali Indicante,

toq; diſputatio. Et quoniam ad hanc partem pertinent res omnes paſſim non naturales à medici nuncupatæ, nos de his omnibus quam breuiſſime diſſeremus: initio ſuſcepto ab alimentis, cibo, & potu. Qua quidem in re cum ſupra, dum de medicamentis loqueremur, dixerimus, curationem hanc perfici medicamentis multis facultatibus præditis, ſcilicet non modo potentibus in cutem propellere materiam ſeruentem, & ſic iuuare naturę conatus, uerum etiam ſubaſtringentibus, roborantibuſq; viſcera: & ſic tueri proprietatem cutis viſcerum: ratio quoq; nobis dictat uiuendi rationem his duabus facultatibus eſſe præditam oportere, itaut partim conſtet iis, quæ impulſionem in cutem foueant, ac iuuent: partim ijs, quę viſcera tueantur, atq; corroborent: quo ſane in caſu ab Auicenna & Auenzoare proponuntur lentes, quæ ſecundum earum primam decoctionem, & ſine cortice, uim aperiendi, atq; ſeorſum propellendi in cutem materiam feruentem nactæ ſunt: ſecundum aliam verò decoctionem vna cum cortice ui aſtringente, & incraſſante præſtant: ut propterea pro diuerſitate temporis, quo adhibendæ ſunt, diuerſa quoq; futura ſit earum præparatio: nam in principio in quo natura tota eſt in expellendis uariolis à centro ad circunferentiam, minus aſtringere, magis aperire cōſilium fuerit: in augumento, æquali cōſilio, cum aperiendi tum aſtringendi procedendum: In ſtatu tandem & declinatione magis ſubaſtringere, quam aperire præſtabit: vt propterea non ſit vt hoc loco Auicennam, alioſq; Arabas Serapionem Auenzoarem, Raſem, Iſahac Iſrahelitam accuſent, quod videant ab Hippocrate, & à Ga-

Auic. & Auenzoar locis citatis.

Hip. li. 4. de rat. vict. in acut. t. c. 94 & Gal. l. 3. ſimpl. 14.

leno improbari lentes in affectibus thoracis, tanquam incraſſante, & aſtringente facultate prædi tas, ſiquidem horum nihil latuiſſe Arabas certiſſimũ eſt, & perſuaſum: immo vero dedita opera lentes propoſuiſſe, tanquam aptiſſima materiam alimenti in uariolis, morbilliſq; curandis. Cui ſane alimenti materiæ conſentiunt, quæ lentium vice iidem Arabes proponunt: nam, & caricas pingues, & ptiſſanam ordeaceam, & petroſelinum, & paſſulas enucleatas, & fæniculum, & alia huius ordinis, quæ ui aperiente ualent, cibis immiſcent, ità tamen ut non ſincera & ſola hæc por rigant ſed una cum plantaginis foliis, cum iuſculis chalybeatis, cum uino granatorum, cum omphacio: cum ſuco limonum, & citri, & cum aliis huius ordinis, quæ non ſine aſtrictione agere ſolent, in quem usum pro potu his inſtituere conſueuimus, aquam in qua lentes ſint coctæ, cui ſucus granatorum, vel limonum, ſit admiſtus. Verum quoniam hęc ſunt alimenta quæ quam minime nutriunt, quæri ſolet nunquid liceat alimenta largius nutrientia propinare, qualia ſunt oua ſorbilia, carnes, uinum. Et primum quidem ad uinum quod attinet, & ſi multi pueri reperiantur, qui à uariolis euaſerunt, etiam ſi in potu uinũ adhibuerint, attamen hoc eſt certò certius, non uino, ſed naturæ robore fuiſſe adiutos: uinum.n. ſi quid aliud, poteſt uiſcera omnia lædere, & feruorem in incendium vſq; adaugere. quare de vino nulla eſſe põt difficultas, illud eſſe interdicendum omnino. Alia uero alimenta largius nutrientia non uidentur ab aliquo ex Arabibus proponi: cum omnes in antedictis & con ſimilibus alimentis medicatis, & perexigue nutrientibus per

ſiſtere uideantur: immo uero cum Raſes expreſſe iubeat, non eſſe dandas carnes pullorum, quod etiam conſentit, & Hippocratis auctoritati, docẽtis, in acutis uictum tenuem conuenire, acutorũ autem genere comprehendi febrem uariolarum certisſimum eſt: & rationi, quę dogmatico, rationaliue medico perſuadet in materiæ multitudine, ac abundantia, detractionem, non additionẽ eſſe deſiderandam; uictus autem tenuis ut Gal. detractioni, quemadmodum plenus additioni eſt conſentaneus, neq; hoc loco obiiciant Arabum inſectatores, pueros, tanquam illos, qui cũ propter caloris natiui abundantium plurimo egere ſoleant alimento, debeant ab hoc dogmate ſecludi: nam primum hoc de multo alimento pueris porrigendo ab Hippocrate traditum dogma de pueris ualentibus, atq; integra ualetudine frucentibus audiẽdum eſt, ſecundo uero cum tenuem uictum dicimus, pro ætatem ratione illum dimetiri conſueuimus: quocirca per ſeptem primos dies, atq; ſi forte ulterius uideantur morbi tempora prorogari, conſultum fuerit à carnibus, ouiſq; abſtinere; & pro illis ſorbitiones adhibere; ex ordeo; ex pane contrito; ex emulſione amigdalarum dulcium, nucleorum pineorum, ſeminum melonum, & cucurbitæ, additis iis, quæ aſtringant, in potu uino granatorum, omphacio, ſuco limonum, uti dictum eſt: habita tamen interim ratione de ætate, anni tempore, conſuetudine, habitu corporis, & aliis; quæ optimam dietę rationem complent. Sed poſteaquam Auenzoar adeo clamat, non eſſe ullo pacto dulcia porrigenda, quin illa tanquam venenum in morbillis damnat, nos quoq; hoc conſilium amplecta-

mur,& à dulcibus tanquam illis, quæ uerti in bilem facile poſint, & hoc nomine materiam ipſam morbillorum in immenſum multiplicare, ægrotantes noſtros caueamus. Hæc de cibis,&potibus . Somni porrò & Vigiliæ moderatæ ſint. Conſuetę excretiones opportune, & cum modetatione prouocentur. Animi perturbationes deuitandæ omnino erunt Et Interim de Aere illud notetur ipſum perpetuo in uariolarum,morbillorumq; cura eſſe oportere plus quam temperatũ In calore aliquo excedentem , ita ut ſit calidus aliquantulum actu : niſi forte (ut notat Auicenna) periculum immineat apoſtematis diaphragmatis, ſyncope, aut inſtet aliquod aliud ſimile, tunc enim uentillandus erit aer,aliquo perflatu, & tranſpiratũ,itaut caliditatem deponat,hac lege tamen ut hoc ſuccedat ſecundum aerem qui inſpiratur, nam de aere circumfuſo , danda erit opera , ne cutis externa ab eo frigido contangantur,unde& ſi perſpiratu aer frigidus,urgente ſyncope,aut imminente interno apoſtemate, reddẽdus eſt,id tamen faciendum,bene tecto corpore, & inſtrncto ne ab eo tangatur extrinſecus,hoc.n. eſſet ægrum quam primum interficere, & omnẽ de ſalute ſpem abiiciendo deponere. Atq; hæc de Variolis,& Morbillis,ad Laudem Dei Deiparæ Virginis dicta ſufficiant.

FINIS.

SVPERIORVM PERMISSV.

Patauij,ex Typographia Laurentij Paſquati.
MDCIII.

99 93705